

LATIN UNSEENS

SELECTED AND ARRANGED
BY E. C. MARCHANT



PRICE 1/-

LONDON: GEORGE BELL & SONS

G W Johnston

LATIN UNSEENS

LONDON: GEORGE BELL & SONS
YORK HOUSE, PORTUGAL STREET, W.C.
CAMBRIDGE: DEIGHTON, BELL & CO.
NEW YORK: THE MACMILLAN CO.
BOMBAY: A. H. WHEELER & CO.

LATIN UNSEENS


SELECTED AND ARRANGED

BY

E. C. MARCHANT, M.A.

FELLOW OF LINCOLN COLLEGE, OXFORD
AND LATE CLASSICAL MASTER AT ST. PAUL'S SCHOOL





LONDON: GEORGE BELL & SONS
PORTUGAL STREET, LINCOLN'S INN

1906



OXFORD : HORACE HART

PRINTER TO THE UNIVERSITY

PREFACE

This collection is intended for beginners. It is, roughly speaking, progressive; and it stops at the point where the *Passages for Unseen Translation,* selected by Mr. A. M. Cook and myself, begins.

In quest of easy passages I have ranged over a wide field of Latin, and have not feared to draw on the Vulgate and Prudentius. Through the first hundred exercises the 'longs' are marked, in order that these passages may be a lesson in reading as well as in translation, and some unimportant alterations have been made in the text in some cases, in order to render the passage more suitable.

English titles are not added except where it seemed desirable to give a hint of the subject.

E. C. M.

RULES FOR PRONUNCIATION

(after the scheme approved by the Philological Societies of Oxford and Cambridge).

1. *c*, *g*, *s*, *t* are *always* hard, as in *c*ake, *g*et, *s*eat, *t*alk.
E. g. the *c* in incipio is *not* to be pronounced as in our *inception*, nor the *cc* in accipio as in our a*cc*ept ;

the *ti* in propitius must not be pronounced as in our propitious.

2. *r* is always sounded, even at the end of a word ; e. g. a*r*ma, Caesa*r*, as in Harry.

3. *i* as consonant is pronounced as *y*.
u (v) ,, ,, *w*.

4. *a* is pronounced as the first *a* in *a*ha !

ā	,,	,,	in f*a*ther.
e	,,	,,	in w*e*t.
ē	,,	,,	*ei* in w*ei*ght.
i	,,	,,	in f*i*t.
ī	,,	,,	*ee* in f*ee*t.
o	,,	,,	n*o*t.
ō	,,	,,	n*o*te.
u	,,	,,	f*u*ll.
ū	,,	,,	*oo* in sh*oo*t.

5. To get the *diphthongs* right, the two vowels of the diphthong should be pronounced rapidly together, the first vowel being regarded as long, the second as short.

E. g. in mens*ae*, ā + ĕ is like the *ai* in Isaiah.
,, *au*ra, ā + ŭ ,, *ou* in hour.
,, co*e*pit, ō + ĕ ,, *oi* in boil.

LATIN UNSEENS

1. Helvētiī lēgātōs dē dēditiōne ad Caesarem mīsērunt.

2. Caesar, postquam eō vēnit, obsidēs, arma, servōs poposcit.

3. Nuntiātō Caesaris adventū hostēs ad eum lēgātōs mīttere statuunt.

4. 'Ego,' inquit, 'istōs quōs mihi dēdī vultis, nōn accipiō.'

5. Pete umbrās istōrum nemorum, dum calet.

6. 'Pōne metūs,' inquit: 'numquam tibi causa dolōris
haec erit.'

7. Hodiē Rōmam proficīscimur: crās redībimus.

8. In opere quis pār Rōmānō mīles? quis ad tolerandum labōrem melior?

9. Britannī leporem et gallīnam et anserem gustāre fās nōn putābant; haec tamen alēbant voluptātis causā.

10. Instruite nunc, cīvēs, contrā hās praeclārās hostium cōpiās vestra praesidia vestrōsque exercitūs.

11. Tum Cocles, 'Tiberīne pater,' inquit, 'tē precor, haec arma et hunc mīlitem propitiō flūmine accipiās.'

12. Sīc armātus in Tiberim dēsiluit et incolumis ad alteram rīpam trānsnāvit.

13. Dīc, age, frīgoribus quārē novus incipit annus,
quī melius per vēr incipiendus erat?

14. Omnia tunc flōrent, tunc est nova temporis aetās;
et nova dē gravidō palmite gemma tumet.

15. Illud, quod lēx iubet, omnēs facere oportet.

16. Ego, quī exercituī praesum, quī bellum gerō, in lūctū et squālōre sum.

17. Grātae mihi tuae litterae fuērunt, ex quibus intellexī tē valēre.

18. Pȳrame, respondē; tua tē cārissima Thisbē
nōminat: exaudī.

19. 'Īcare,' dīxit, 'ubi es? quā tē regiōne requīram?'
'Īcare' dīcebat; pennās aspexit in undīs.

20. Caesar Fabium cum ūnā legiōne remittit in hīberna, ipse cum tribus circum oppidum hiemāre constituit.

21. Tarquinius trīcēsimo octāvō imperiī annō per Ancī fīliōs occīsus est, rēgis ēius, cūī ipse successerat.

22. Post hunc Servius Tullius regnāre coepit, genitus ex nōbilī fēminā, captīvā tamen.

23. Occīsus est quadrāgēsimō quintō imperiī annō scelere generī suī, Tarquiniī, fīliī ēius rēgis cūī ipse successerat.

24. Tarquinius Superbus, septimus atque ūltimus rēgum, templum Iovī aedificāvit.

25. Brevitās tuārum litterārum mē quoque breviōrem in scrībendō facit.

26. Cēnābam apud Seium cum utrīque nostrum redditae sunt ā tē litterae.

27. Hostēs proeliō superātī statim lēgātōs dē pāce mīsērunt; obsidēs datūrōs sēsē pollicitī sunt.

28. Nōs ad hostem pervenīre iubēte, quem per annōs iam prope trīgintā vincimus.

29. Domuistī, Caesar, gentēs barbarās, innumerābilēs, omnī cōpiārum genere abundantēs.

30. Itaque bellicae tuae laudēs celebrābuntur nōn sōlum nostrīs, sed paene omnium gentium litterīs atque linguīs.

31. Nocte mihi Āfricānus, avus meus, sē ostendit eā formā quae mihi ex imāgine ēius quam ex ipsō erat nōtior.

32. Quem ubi agnōvī, timēbam; sed ille, 'Ades,' inquit, 'animō, et omitte timōrem, Scīpio.'

33. 'Quae dīcam trāde memoriae. Vidēs illam urbem, quae, pārēre populō Rōmānō coacta per mē, renovat pristina bella.'

34. 'Hanc hōc bienniō ēvertēs, eritque cōgnōmen id tibi per tē partum, quod habēs adhūc ā nōbīs hērēditārium.'

35. Posce aliquid: nūllam patiēre repulsam.
Dēprecor hōc ūnum, quod vērō nōmine poena,
nōn honor est.

36. Scīpio, pāce terrā marīque partā, exercitū in nāvēs impositō, in Siciliam trāiēcit.

37. Inde, magnā parte mīlitum nāvibus missā, Rōmam pervēnit, triumphōque omnium clārissimō urbem est invectus.

38. Multās ad rēs ūtilēs Xenophōntis librī sunt, quōs legite, quaeso, studiōsē, ut facitis.

39. Hannibal minor quinque et vīgintī annīs nātus imperātor factus omnēs gentēs Hispāniae bellō subēgit: Saguntum vī expugnāvit: trēs exercitūs māximōs comparāvit. ēx hīs ūnum in Āfricam mīsit, alterum in Hispāniā relīquit, tertium in Ītaliam sēcum dūxit.

40. Saltum Pȳrēnaeum trānsiit; quācumque iter fēcit, cum omnibus incolīs pugnāvit; nēminem nisi vīctum dē-mīsit; ad Alpēs postquam vēnit, quae Ītaliam ab Galliā sēiungunt, quās nēmo umquam cum exercitū ante eum trānsierat, Alpicōs cōnantēs prohibēre trānsitū vīcit.

41. Ūna diēs Fabiōs ad bellum mīserat omnēs:
ad bellum missōs perdidit ūna diēs.

42. Tempora lābuntur, tacitīsque senescimus annīs
et fugiunt frēnō nōn re-morante diēs.

43. Pōma dat autumnus; formōsa est messibus aestās;
vēr praebet flōrēs; igne levātur hiems.

44. Tua est, Domine, potentia et glōria atque vīctōria; et tibi est laus: cuncta enim quae in caelo sunt et in terrā tua sunt: tuum, Domine, est regnum, et tū es super omnēs principēs. Nunc igitur, Deus noster, laudāmus nōmen tuum.

45. Vocāvit Dominus puerum: quī respondēns ait, 'Ecce ego.' Et cucurrit ad senem et dīxit, 'Ecce ego; vocāstī enim mē.' Ille autem, 'Nōn vocāvī' inquit, 'revertere et dormī.' Et abiit et dormīvit.

46. Death closes All.

Vīve pius, moriēre. pius cole sacra, colentem
mors gravis ā templīs in cava busta trahet.
Carminibus confīde bonīs. iacet, ecce, Tibullus:
vix manet ē tōtō parva quod urna tenet.

47.

Quam legis, ex illā tibi vēnit epistola terrā,
lātus ubi aequoreīs additur Hister aquīs.

48.

Somnus abit, somnīque fugam lūx alma secūta est.

49.

Cūra piī dīs sunt, et quī coluēre coluntur.

50. A Psalm of Thanksgiving.

Laudāte Dominum, omnēs gentēs; laudāte eum, omnēs populī; quoniam confirmāta est super nōs misericordia ēius, et vēritās Dominī manet in aeternum.

51.

Hostēs, posteāquam ex nocturnō fremitū vigiliīsque dē profectiōne eōrum sēnsērunt, collocātīs īnsidiīs in

silvīs opportūno atque occultō locō Rōmānōrum adventum exspectābant, et cum sē māior pars āgminis in māgnam vallem dēmīsisset, ex utrāque parte ēius vallis subitō sē ostendērunt.

52.

Ambōbus consulibus ab Hannibale vīctīs, Rōmae tantus erat terror ex hāc clāde, ut iam ad urbem crēderent hostem ventūrum, nec quicquam spēī aut auxiliī esse.

53.

Vōsne, quod ad diem amīcī nōn vēnērunt, dē eorum fidē dubitātis? sī epistolīs crēdere nōn potestis, nōbīs ūtiminī testibus appropinquāre eōrum adventum.

54. The Shape of Sardinia.

Sardinia, in Āfrico marī sita, similis pedis humānī, in orientem quam in occidentem lātior prōminet.

55.

Scīpiōnem quod per omnem vītam in Capitōlium īre, ingressusque aedem sōlus sedēre solēbat, stirpis dīvīnae virum esse vulgus crēdēbat.

56.

Māximē sum gāvīsus, cum audīvī ducem tē exercitūs nostrī factum esse, eumque honōrem spērō tē optimē esse gestūrum, ut et tē et parentibus tuīs dignum erit.

57. Fickle Fortune.

Fortūna numquam sistit in eōdem statū,
semper movētur, variat āc mūtat vicēs,
et summa in īmum vertit āc versa ērigit.

58.

Celebre fuit Titī Caesaris dīctum, perdidisse sē diem quō nihil bonī fēcisset.

59.

Hīs rēbus confectīs in Aeduōs proficīscitur. Eō lēgātī ab Arvernis mīssī quae imperāret sē factūrōs pollicentur. Imperat māgnum numerum obsidum.

60. Sour Grapes.

Famē coacta vulpēs altā in vīneā
ūvam adpetēbat, summīs saliēns vīribus:
quam tangere ut nōn potuit, discēdēns ait:
'Nōndum mātūra est; nōlo acerbam sūmere.'

61.

Sub vesperum consiliō convocātō cohortātus ut ea, quae imperāsset, dīligenter industriēque administrārent, nāvēs quattuor mīlia passuum secundō flūmine prōgredī iubet.

62.

Ex Quintī frātris litterīs suspicor iam eum esse in Britanniā. Anxiō animō scīre volō quid agat.

63. The Power of Time.

Tempore Poenōrum compescitur īra leōnum,
nec feritās animō, quae fuit ante, manet:
hōc etiam saevās paulātim mītigat īrās,
hōc minuit lūctūs maestaque corda levat.

64.

Tum praefectī rēgis Persae lēgātōs mīsērunt Athēnās questum, quod Chabriās adversum rēgem bellum gereret cum Aegyptiīs. Ille Athēnās rediit, neque ibi diūtius morātus est quam fuit necesse.

65.

Cum Porsena Tarquiniōs in urbem restituere tentāret, Horātius Cocles prō ponte stetit et aciem hostium sōlus sustinuit, dōnec pons ā tergō rumperētur, cum quō in Tiberim dēcidit, et armātus ad suōs trānsnāvit.

66.

Cum iam moritūrum esse Alexandrum amīcī vidērent, quaesīvērunt quem imperiī faceret hērēdem. Respondit 'dignissimum'; tamquam nefās esset virō fortī alium quam virum fortem succēdere.

67.

Gallī, dīvīsīs āgminibus, aliī Graeciam, aliī Macedoniam petīvēre. Tantusque terror Gallicī nōminis erat ut etiam rēgēs ultrō pācem ingentī pecūniā emerent.

68. Dido upbraids Aeneas.

Dissimulāre etiam spērāstī, perfide, tantum
posse nefās tacitusque meā dēcēdere terrā?
nec tē noster amor nec tē data dextera quondam
nec moritūra tenet crūdēlī fūnere Dīdō?

69.

Labiēnus mīlitēs cohortātus ut suae virtūtis et secundōrum proeliōrum retinērent memoriam, atque ipsum Caesarem, cūius dūctū saepenumerō hostēs superāssent, praesentem adesse existimārent, dat signum pugnae.

70.

Mīttit hominēs ad infimōs montēs quī obviī erant itinerī hostium, iīsque praecipit ut nocte quam lātissimē possint ignēs faciant quam māximōs atque hōs secundā vigiliā minuant, et suspīciōnem iniciant hostibus, iīs locīs esse castra.

71.

Postquam id animadvertit, cōpiās suās Caesar in proximam collem dūcit, equitēsque quī sustinērent hostium impetum mīsit.

72. A Feast of the Gods.

Summō in lectō accumbēbat cum Iūnōne Iuppiter, āc deinde per ordinem omnēs deī. Tunc pōculum nectaris, quod vīnum deōrum est, Bacchus ministrābat, dum Vulcānus cēnam coquit. Apollō cantābat ad citharam; Mūsae vōce dulcī concinēbant, Venus formōsē saltābat.

73.

Quod mare nōn nōvit, quae nescit Arīona tellūs?
  carmine currentēs ille tenēbat aquās.
Saepe sequēns agnam lupus est ā vōce retentus;
  saepe avidum fugiēns restitit agna lupum.

74.

Postquam id animadvertit, cōpiās suās Caesar in proximum collem dūcit, equitēsque, quī sustinērent hostium impetum, mīsit. Ipse in colle mediō triplicem aciem īnstrūxit legiōnum quattuor; in summō iugō duās legiōnēs conlocārī āc tōtum montem hominibus complērī iūssit.

75. A Prayer.

Omnipotēns genitor rērum, cūī summa potestās,
exaudī, sī iusta precor: nē sit mihi tristis
ūlla diēs, placidam nox rumpat nūlla quiētem:
nec placeant aliēna mihi: multīs mea prōsint
pauperibus, nūllusque habeat mihi vōta nocendī.

76.

Augustus habitāvit prīmō iūxtā Rōmānum forum, posteā in Palātiō, āc per annōs amplius quadrāgintā eōdem cubiculō hieme et aestāte mansit, quamvīs parum salūbrem valētūdinī suae urbem hieme experīrētur.

77. A Brave Slave.

Servus barbarus Hasdrubalem, quod dominum suum occīdisset, graviter ferēns, subitō aggressus interfēcit. Cumque comprehensus omnī modō cruciārētur, laetitiam tamen in ōre constantissimē retinuit.

78.

Ad tē brevior iam in scrībendō fīō, quod dubitō Romaene sīs an iam profectus. Quod tamen quoad ignōrābō, scrībam aliquid potius quam committam ut tibi, cum possint reddī ā mē litterae, nōn reddantur.

79.

Quibus bellum non intuleris, bonīs amīcīs poteris ūtī: nam firmissima est inter parēs amīcitia. Sed quōs vīceris, amīcōs tibi esse cavē crēdās: inter dominum et servum nūlla amīcitia est.

80. Alexander's Confidence in his Doctor.

Alexander, Macedonum rēx, iacēbat aeger Tarsī. Cūī cum Philippus medicus, Alexandrī amīcus et comes, pōtiōnem suīs manibus temperātam porrexisset, litterae subitō ā duce quōdam superveniunt, admonentēs ut rēx insidiās Philippī cavēret. Quās cum lēgisset, sine ūllā cunctātiōne medicāmentum bibit, ac tunc legendās Philippō trādidit.

81.

Urbem Rōmam ā principiō rēgēs habuēre. Lībertātem et consulātum Lūcius Brūtus instituit.

82.

Eōdem diē Caesar certior factus est hostēs sub monte consēdisse mīlia passuum ab ipsius castrīs octō.

83. King Prusias and Hannibal.

Haec dum in Asiā geruntur, accidit cāsū ut lēgātī Prūsiae Rōmae apud Titum Quinctium Flāminīnum cēnārent, atque ibi dē Hannibale mentiōne factā, ex iīs ūnus dīceret eum in Prūsiae rēgnō esse.

84.

Id posterō diē Flāminīnus senātuī dētulit. Patrēs conscriptī, quī Hannibale vīvō numquam sē sine insidiīs futūrōs existimārent, lēgātōs in Bīthȳniam mīsērunt, qui ab rēge peterent ne inimīcissimum suum sēcum habēret.

85.

His Prūsias negāre ausus nōn est: illud rogāvit, nē id ā sē fierī postulārent quod adversus iūs hospitiī esset: ipsī, sī possent, eum caperent: locum, ubi esset, facile inventūrōs.

86.

Hannibal latēbat in castellō, quod eī ā rēge datum erat mūnerī, idque sīc aedificārat, ut in omnibus partibus aedificiī exitūs habēret.

87.

Hūc cum lēgātī Rōmānōrum vēnissent āc multitūdine domum ēius circumdedissent, puer ab iānuā prōspiciēns Hannibalī dīxit hominēs adesse armātōs.

88.

Nox tandem optātīs terrās pontumque tenebrīs
condidit, et pugnās ēreptā lūce dirēmit.

89.

Ō patria, ō Fideī domus inclita, quō tua nunc sunt
fāta locō? sacraene manent in collibus arcēs?
an cinis, heū superī! tantō dē nōmine restat?

90.

Germānōrum immānia corpora, quō erant māiōra, eō magis Rōmānōrum gladiīs ferrōque patuērunt. Cum barbarī, ēlātīs super caput scūtīs, sēsē tegerent, super ipsa Rōmānī scūta saliērunt, et inde in iugulōs gladium agēbant.

91.

Vidē nē, dum arboris magnae ad cacūmen pervenīre contendis, cum ipsīs rāmīs quōs comprehenderis dēcidās.

92.

Inrumpunt aditūs Phryges atque in līmine prīmō
restantes sternunt Grāiōs vāllōque catervās
dēturbant, aliī scālās in moenia poscunt
et iaciunt īgnēs: praebet victōria vīrēs.

93.

Tum rēx 'Quaerō' inquit 'an vīvere velītis nōn inimīcī mihi, cūius beneficiō vīctūrī estis?' Illī numquam sē inimīcōs eī, sed, bellō lacessītōs, hostēs fuisse respondērunt.

94.

Dēfīxum iam rēx Italā tellūre tenēbat
intentus vultum, et suspīria crebra ciēbat,
haud secus āc patriam pulsus dulcēsque penātēs
linqueret et tristēs exul traherētur in ōrās.

95. Address to Rome.

Exaudī, rēgīna tuī pulcherrima mundī,
nōn procul ā caelō per tua templa sumus.
Tē canimus, semperque, sinent dum fāta, canēmus,
hospes nēmo potest immemor esse tuī.

96.

Hannibal imperāvit eī, ut omnēs forēs aedificiī circumīret āc sibi nuntiāret, num eōdem modō undique obsidērētur.

97.

Puer cum celeriter renuntiāsset omnēs exitūs occupātōs esse, sensit sē petī neque sibi diūtius vītam esse retinendam. Quam nē aliēnō arbitriō dīmitteret, venēnum, quod semper sēcum habēbat, sūmpsit.

98.

Populus Rōmānus, Caesare et Pompēiō interfectīs, rediisse in statum lībertātis vidēbātur; et redierat, nisi Pompēius līberōs aut Caesar hērēdem relīquisset; vel (quod utrōque perniciōsius fuit), sī nōn superfuisset Antōnius.

99. Kings and Poets are rare.

Consulēs fīunt quotannīs et novī prōconsulēs:
sōlus aut rēx aut poēta nōn quotannīs nāscitur.

100.

Flent miserī āmīssum Phryges Hectora, tōtaque maestō
Trōia sonat planctū: fundit miseranda querellās
īnfēlix Hecubē saevīsque arat unguibus ōra;
Andromachēque suās scindit dē pectore vēstēs.

101. King Pelias.

Pelias rex Aesonem fratrem habuit. Aesonis filius erat Iason, virtute praestans: et qui sub avi regno erant, omnes eos hospites habebat, et ab eis validissime amabatur. Pelias rex, ut vidit Iasonem amari ab omnibus, veritus est ne sibi iniurias faceret, et se regno eiceret.

102. The Golden Fleece among the Colchi.

Dixit Pelias Iasoni Colchis pellem arietis inauratam esse, dignam eius virtute, ut eam inde auferret. Iason ubi audivit, ut erat fortis animi, et loca omnia nosse volebat, atque clariorem se futurum existimabat, si pellem inauratam Colchis abstulisset, dicit Peliae regi se velle eo ire si vires sociique non deessent.

103. The Argo is prepared.

Per totam Graeciam rumor cucurrit navim aedificari in qua Colchos eat Iason, pellem auream petiturus. Amici ad eum venerunt, et pollicentur se una ituros. Iason cum tempus venit, literas ad eos misit, et convenerunt ad navim, cuius nomen erat Argo.

104.

Pelias quae opus erant in navim imponi iussit: et hortatus est Iasonem et eos qui una ituri erant, ut animo forti irent ad perficiendum id quod conati essent. Iason, ubi ad Phrygiam venit, navim admovit ad portum. Laomedonti, regi Troianorum, nuntiatum est mirandam navim in portum intrasse.

105.

Ubi audivit Laomedon, commotus est, et commune periculum fore putavit si consuescerent Graeci ad sua litora navibus advenire. Mittit igitur ad portum qui iubeant Graecos de finibus suis decedere: si non dicto oboediissent, tum se armis eiecturum de finibus.

106.

Iason et qui cum eo venerant graviter tulerunt crudelitatem Laomedontis: simul timebant multitudinem barbarorum, si contra imperium conarentur permanere, ne opprimerentur. Cum ipsi non essent parati ad proeliandum, navim conscenderunt, a terra recesserunt, Colchos profecti sunt, pellem abstulerunt, domum reversi sunt.

107. Hector's Grave.

Defensor patriae, iuvenum fortissimus Hector,
qui murus miseris civibus alter erat,
heu! periit telo violenti victus Achillis:
heu! periere simul spesque salusque Phrygum.

108.

Servus publicus ad Marium interficiendum cum gladio missus, qui forte ab imperatore in bello captus erat, magno clamore e carcere profugit. 'Non possum', inquit, 'interficere Gaium Marium.'

109. The Flight of Time.

Horae quidem cedunt et dies et menses et anni, nec praeteritum tempus umquam revertitur, nec quid sequatur sciri potest.

110. A Stern Father.

Manlius Torquatus filium suum, summa et singulari virtute adolescentem, quod is contra mandatum pugnasset, victorem securi interfici iussit.

111. Order for rebuilding the Temple.

Anno primo Cyri regis, Cyrus rex decrevit ut domus Dei aedificaretur, quae est in Ierusalem, in loco ubi immolent hostias.

112. Solomon's Choice.

Solomonis verba placuerunt Domino, quod postulasset talem rem. Et dixit Dominus Solomoni: Quia postulasti hoc, et non petisti tibi dies multos nec divitias aut animam inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam, ecce, dedi tibi cor sapiens et intelligens, ut nemo ante te similis tui fuerit, nec post te futurus sit.

113. A High-minded Roman.

Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati sunt; non enim aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed eis qui haberent aurum imperare.

114. A Grateful Guest.

Nocte quadam viator de pago proximo, tenebris impeditus et imbre nimio madefactus, ad hortum nostrum, iam fesso equo, venit, receptusque comiter, remunerari benignum hospitem cupiens, promittit ei de agris suis se frumenti aliquid daturum et duos vini cados.

115. The Dog and the Crocodile.

Canes currentes bibere in Nilo flumine,
a corcodilis ne rapiantur, traditum est.
Igitur cum currens bibere coepisset canis,
sic corcodilus: 'Quamlibet lambe otio;
accede, pota, noli temere de dolo'
ait 'vereri'. At ille 'Facerem me hercule,
nisi esse scirem carnis te cupidum meae'.

116.

Cyrus quidem apud Xenophontem eo sermone, quem moriens habuit cum admodum senex esset, negat se umquam sensisse senectutem suam imbecilliorem factam quam adulescentia fuisset.

117. True Politeness.

Memoriae proditum est, cum Athenis quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum nusquam ei datum a suis civibus; cum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui, legati cum essent, certo in loco consederant, consurrexisse omnes illi dicuntur, et senem sessum recepisse; quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex eis quemdam Athenienses scire quae recta essent, sed facere nolle.

118. A Roman Citizen publicly scourged.

Caedebatur virgis in medio foro Messanae civis Romanus, cum interea nullus gemitus, nulla vox alia illius miseri inter dolorem crepitumque plagarum audiebatur, nisi haec: 'Civis Romanus sum.' Hac se commemoratione civitatis omnia verbera depulsurum cruciatumque a corpore deiecturum arbitrabatur. Is non modo hoc non perfecit, ut virgarum vim fugeret, sed cum imploraret saepius, crux infelici homini, qui numquam istam pestem viderat, comparabatur.

119. A Risky Remedy.

Laceratus quidam morsu vehementis canis
tinctum cruore panem misit malefico,
audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Aesopus: 'noli coram pluribus
hoc facere canibus, ne nos vivos devorent,
cum scierint esse tale culpae praemium.'
Successus improborum plures adiicit.

120. May your Friends never live in such a Land as this.

Di procul a cunctis, qui te venerantur amantque,
huius notitiam gentis habere velint.
Nos satis est inter glaciem Scythicasque sagittas
vivere, si vita est mortis habenda genus:
nos habeat regio nec pomo feta nec uvis,
et cuius nullum cesset ab hoste latus.

121.

Postquam ad Moesorum regionem Agamemnonis classes venti appulere, propere omnes signo dato naves litori admovebant, sed egredi cupientibus a custodibus loci eius obviam itum est. Igitur ubi descendere prohibentur, neque prius permittitur terram attingere quam Telepho, Moesiae regi, quinam essent nuntiaretur, nostri primo quae dicebantur negligere, et singuli navibus egredi.

122.

Mox, postquam a custodibus summa vi resisti et prohiberi coeptum est, duces omnes iniuriam manu vindicandam rati, arreptis armis evolant navibus, incensique ira custodes caedere, neque versis in fugam parcere, sed ut quisque fugientem comprehenderat, trucidare.

123.

Interim ad Telephum veniunt qui Graecos evaserant. Irruisse multa hostium milia, eosque caesis custodibus litora occupasse, multa praeterea pro metu suo adiicientes nuntiant. Re cognita, Telephus propere Graecis obviam venit, ac statim vi magna concurritur. Tandem adventante nocte, cunctis cupientibus requies belli facta est.

124. Caesar sends Labienus to charge the Enemy by a Sortie in Case of Necessity.

His rebus cognitis Caesar Labienum cum cohortibus sex subsidio laborantibus mittit: imperat, si sustinere non posset, deductis cohortibus eruptione pugnaret; id

nisi necessario ne faciat. Ipse adit reliquos, cohortatur ne labori succumbant; omnium superiorum dimicationum fructum in eo die atque hora docet consistere.

125.

Deficiunt Graiorum acies, Phryges acrius instant,
attolluntque animos: geminat victoria vires.
Ut vidit socios infesto cedere Marti
rex Danaum, sublimis equo volat agmina circum,
hortaturque duces, animosque in proelia firmat:
mox ipse in medios audax se proripit hostes.

126.

Colloquium petit interea fidissima coniunx
Hectoris Andromache, parvumque ad pectora natum
Astyanacta tenet, cuius dum maximus heros
oscula parva petit, subito perterritus infans
convertit timidos materna ad pectora vultus,
terribilemque fugit galeam cristamque micantem.

127.

Imperium Latinorum adeptus Ascanius cum continuis proeliis Mezentium persequi instituisset, Lausus, Mezentii filius, collem Laviniae arcis occupavit. Cum id oppidum circumfusis omnibus copiis regis teneretur, Latini legatos ad Mezentium miserunt rogatum qua conditione se in deditionem accipere vellet.

128.

L. Vibullius Rufus bis in potestatem pervenerat Caesaris atque ab eo erat dimissus, semel ad Corfinium, iterum in Hispania. Hunc pro suis beneficiis Caesar idoneum iudicaverat quem cum mandatis ad Cn. Pompeium mitteret, eundemque apud Cn. Pompeium auctoritatem habere intelligebat.

129. Prayer for a Safe Voyage.

Da, pater, ut tute liceat transmittere cursum:
perfer ad optatos securo in litore portus
me comitesque meos; quod cum permiseris esse,
reddam, quas potero, magno pro munere grates.

130.

Caesar, paucos dies in Asia moratus, cum legione una, quam se ex Thessalia sequi iusserat et altera, quam ex Achaia evocaverat, equitibus DCCC et navibus longis X Alexandriam pervenit. In his erant legionibus hominum milia tria CC; reliqui vulneribus ex proeliis et labore ac magnitudine itineris confecti sequi non potuerant.

131.

Timotheus, Cononis filius, Atheniensis, a patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus: fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus neque minus civitatis regendae. Multa huius sunt praeclare facta, sed haec maxime illustria. Olynthios et Byzantios bello subegit. Samum cepit: in quo oppugnando superiori bello Athenienses mille et ducenta talenta consumpserant, id sine ulla publica impensa populo restituit.

132.

Aegyptus expers est imbrium, mire tamen fertilis, et hominum aliorumque animalium fecunda. Nilus, amnium in nostrum mare permeantium maximus, ex desertis Africae ad Delta et per omnem Aegyptum vagus atque dispersus; septemque in ora se scindens, singulis tamen grandis, in mare evolvitur. Non pererrat autem tantum, sed aestivo tempore auctus irrigat terram, adeo efficacibus aquis ad vitam alendam ut, praeter id quod scatet piscibus, hippopotamos corcodilosque, vastas beluas, gignat.

133. Rewards to the Heroes of War.

Tum merita aequantur donis, ac praemia virtus
sanguine parta capit: phaleris hic pectora fulget,
hic torque aurato circumdat bellica colla.
Laelius ante omnes, cui dextera clara domusque,
donatur titulo Poenique recentibus armis
rectoris. Tunc hasta viris, tunc Martia cuique
vexilla, ut meritum est.

134. Ingratitude.

Videndum est quid maxime faciat ingratos. Facit saepe insitum mortalibus vitium se suaque mirandi. Cn. Lentulus, cum omnia divo Augusto deberet, princeps iam civitatis et pecunia et gratia, de Augusto solebat queri, dicens a studiis se abductum; nihil tantum sibi datum esse quantum perdidisset relicta eloquentia. At illi inter alia hoc quoque divus Augustus praestiterat, quod illum derisu et labore irrito liberaverat.

135.

Anaxilaus, Rheginorum tyrannus, moderationis suae haud mediocrem fructum tulit. Nam moriens cum filios parvulos reliquisset, tutelamque spectatae fidei servo commisisset, tantus amor memoriae eius apud omnes fuit, ut parere servo, quam deserere regis filios mallent; principesque civitatis obliti dignitatis suae, regni maiestatem administrari per servum paterentur.

136.

Iam caesi erant Graecorum multi, cum Patroclus, dum hortatur suos simul atque instat hostibus, telo Euphorbi ictus cadit. Statim Hector advolans eum hasta interfecit: mox proelio abstrahere nititur. Quod ubi Aiaci cognitum est, relicto loco ubi pugnaverat, propere adcurrit, iamque eripere cadaver incipientem proturbat hasta. Postquam nocte proelium diremptum est, Patrocli corpus elutum veste contegitur; quibus actis Achilles monuit ut custodes vigilias agerent.

137.

Non huc exsangues morbi, non aegra senectus,
  nec mors crudelis, nec metus asper adit,
nec scelus infandum, nec opum vesana cupido,
  aut Mars, aut ardens caedis amore furor:
non ibi tempestas, nec vis furit horrida venti,
  nec gelido terram rore pruina tegit:
nulla super campos tendit sua vellera nubes,
  nec cadit ex alto turbidus humor aquae.

138.

A Phocaea quondam Asiatica gens, Harpali inclementiam fugiens, Cyri regis praefecti, Italiam navigio petiit. Cuius pars in Gallia condidit Massiliam. Per haec loca hominibus paulatim excultis, inter Celtas viguere studia doctrinae, incepta per Bardos et Druidas. Bardi fortia virorum illustrium facta cum dulcibus lyrae modis cantabant: Druidae quaestionibus divinarum altarumque rerum studebant, et hominum pronuntiaverunt animas esse immortales.

139.

Praeda onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis Athenas venerunt. His cum obviam universa civitas in Piraeum descendisset, tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis ut ad eius navem vulgus conflueret, proinde ac si solus advenisset. Sic enim populo erat persuasum, et adversas superiores et praesentes secundas res accidisse eius opera. Neque id sine causa arbitrari videbantur.

140.

Ne illa quidem promissa servanda sunt, quae non sunt iis utilia, quibus promiseris. Sol Phaethonti filio facturum se esse dixit quicquid optasset: optavit ut in currum patris tolleretur: sublatus est, atque insanus qua constitit ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat promissum patris non esse servatum.

141. The Two Wallets.

Peras imposuit Iuppiter nobis duas:
propriis repletam vitiis post tergum dedit,
alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus:
alii simul delinquunt, censores sumus.

142. Why Crows live long.

Odiosa cornix super ovem consederat;
quam dorso cum tulisset invita et diu:
'Hoc,' inquit, 'si dentato fecisses cani,
poenas dedisses.' Illa contra pessima:
'Despicio inermes, eadem cedo fortibus;
scio quem lacessam, cui dolosa blandiar:
ideo senectam mille in annos prorogo.'

143. Honour in War.

Contra Pyrrhum Fabricius missus est. Cum vicina castra ipse et rex haberent, medicus Pyrrhi nocte ad eum venit, promisitque se Pyrrhum veneno occisurum. Quem Fabricius vinctum reduci iussit ad dominum, Pyrrhoque dici quae contra vitam eius medicus spopondisset. Tum rex admiratus eum dixisse fertur: 'Ille est Fabricius qui difficilius ab honestate quam sol a suo cursu averti possit.'

144.

Vix ea fatus erat: medios volat ecce per hostes
vectus equo spumante Saces, adversa sagittā
saucius ora, ruitque implorans nomine Turnum:
'Turne, in te suprema salus, miserere tuorum.
Fulminat Aeneas armis summasque minatur
deiecturum arces Italum excidioque daturum,
iamque faces ad tecta volant.'

145.

His rebus gestis Curio se in castra recipit atque universi exercitus conclamatione imperator appellatur posteroque die Uticam exercitum ducit et prope oppidum castra ponit. Nondum opere castrorum perfecto equites ex statione nuntiant magna auxilia equitum peditumque ab rege missa Uticam venire; eodemque tempore vis magna pulveris cernebatur et vestigio temporis primum agmen erat in conspectu.

146.

Quartum iam diem eodem loco quietem militi dederat, cum litteras imperatoris Persae accipit: quibus haec inerant: Se Dario non fuisse inimicum; immo etiam quae credidisset utilia esse, suasisse: et quia fidele consilium regi dedisset, se prope occisum esse ab eo.

147.

Cum de fenestra corvus raptum caseum
comesse vellet, celsa residens arbore,
hunc vidit vulpes, deinde sic coepit loqui:
'O quam tuarum, corve, pennarum est nitor;
quantum decoris corpore et vultu geris.
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.'
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
emisit ore caseum, quem celeriter
dolosa vulpes avidis rapuit dentibus.

148.

Minimus aetate inter fratres Ioseph fuit; cuius excellens ingenium veriti fratres clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Aegyptum, cum magicas ibi artes sollerti ingenio percepisset, mox ipsi regi carus factus est. Nam et prodigiorum sagacissimus erat et somnia primus interpretabatur: etiam sterilitatem agrorum ante multos annos providit: periissetque omnis Aegyptus fame, nisi monitu eius rex edicto servare per multos annos fruges iussisset.

149.

Themistocles in contione dixit habere se rem prudentia sua provisam, quam si fortuna perfici passa esset, nihil maius aut potentius Atheniensi populo futurum: sed eam vulgari non oportere. Postulavit ut aliquis sibi, cui illam tacite exponeret, daretur. Datus est Aristides.

150.

Aristides postquam cognovit Themistoclem classem Lacedaemoniorum, quae tota apud Gythaeum subducta erat, velle incendere, ut eā consumptā dominatio maris ipsis cederet, processit ad cives et dixit Themistoclem ut utile consilium, ita minime iustum animo volvere. Universa contio quod aequum non videretur, ne expedire quidem proclamavit, ac protinus Themistoclem incepto desistere iussit.

151.

Navem in conspectu nullam, tris litore cervos
prospicit errantes; hos tota armenta sequuntur
a tergo et longum per valles pascitur agmen.
Constitit hic arcumque manu celeresque sagittas
corripuit, fidus quae tela gerebat Achates,
ductoresque ipsos primum capita alta ferentes
cornibus arboreis sternit, tum vulgus et omnem
miscet agens telis nemora inter frondea turbam.

152.

Epaminondas, cum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam simulque ipse gravi vulnere exanimari se videret, quaesivit salvusne esset clipeus. Cum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit essentne fusi hostes. Cumque id quoque ut cupiebat audivisset, evelli iussit eam qua erat transfixus hastam: ita, multo sanguine profuso, in laetitia et in victoria est mortuus.

153.

Lacedaemonii, postquam accidit illa calamitas apud Leuctram, numquam pristinum imperium recuperaverunt, cum interim numquam Agesilaus destitit quibuscumque rebus posset patriam iuvare. Nam cum praecipue Lacedaemonii egerent pecunia, illud in primis fuit admirabile, cum maxima munera Agesilao ab regibus civitatibusque conferrentur, quod nihil umquam domum suam tulit, domo eadem fuit contentus qua maiores sui fuerant usi.

154. Surrender of Vercingetorix.

Postero die Vercingetorix concilio convocato id bellum se suscepisse non suarum necessitatium, sed communis libertatis causa demonstrat, et quoniam sit fortunae cedendum, ad utramque rem se illis offerre, seu morte sua Romanis satisfacere seu vivum tradere velint. Mittuntur de his rebus ad Caesarem legati. Iubet arma tradi, principes produci. Ipse pro castris consedit: eo duces producuntur. Vercingetorix deditur, arma proiciuntur.

155. Sweeter than Honey.

Pericles magno praeditus ingenio multaque doctrina perpolitus Athenienses regebat arbitrio suo: cumque adversus populi voluntatem loqueretur, iucunda nihilominus et popularis eius vox erat. Itaque veteris comoediae scriptor fatebatur in labris eius sedere melle dulciorem persuadendi potestatem.

156. Recollections of the Cyclops.

Vidi cum monte revulso
immanem scopulum medias permisit in undas:
vidi iterum, veluti tormenti viribus acta,
vasta giganteo iaculantem saxa lacerto.
Ut vero fuga vos ab acerba morte removit,
ille quidem totam gentem execratur Achivam,
atque ait: 'O si quis referat mihi casus Ulixen,
aut aliquem e sociis, in quem mea saeviat ira.'

157.

Nec cessat spes una Phrygum fortissimus Hector
sternere caede viros atque agmina vertere Graium.
Ut lupus in campis pecudes ubi vidit apertis,
non illum dux ipse gregis, non horrida terret
turba canum, rapit esuriens et negligit omnes,
in mediosque greges avidus ruit: haud secus Hector
invadit Danaos et territat ense cruento.

158. Work is good for a Nation.

Ap. Claudium crebro solitum esse dicere accepimus, negotium populo Romano melius quam otium esse; non quod ignoraret quam iucunda tranquillitas esset, sed quod animadverteret praepotentia imperia rebus gerendis ad virtutem excitari, nimia quiete in desidiam resolvi.

159.

Tantae multitudinis precibus et lacrimis exercitus commotus cum videret tam omnibus Caesarianis quam Pompeianis Longinum esse in odio, nomen Pompei ex scutis detraxerunt, Marcellum, qui se Caesaris causam defensurum profitebatur, ducem asciverunt praetoremque appellarunt castraque ad Cordubam posuerunt.

160.

Zela est oppidum in Ponto positum. Circumpositi sunt huic oppido magni multique intercisi vallibus colles; quorum altissimus unus, qui propter victoriam Mithridatis detrimentumque exercitus nostri magnam in illis partibus habet nobilitatem, paene coniunctus est oppido, nec multo longius milibus passuum III abest a Zela.

161.

Locus est fere regionum illarum nobilissimus non ita longe ab Alexandria, qui nominatur Delta; quod nomen a similitudine litterae cepit: nam pars quaedam fluminis Nili duobus itineribus paulatim medium inter se spatium relinquens diversissimo ad litus intervallo mari coniungitur. Cui loco cum appropinquare Mithridaten rex cognovisset et transeundum ei flumen sciret, magnas adversus eum copias misit, quibus vel superari delerique Mithridaten vel sine dubio retineri posse credebat.

162.

Dum haec ab utrisque ducibus administrantur, milites eorum ex Sicilia navibus onerariis profecti, cum iam non longe a portu abessent, conspicati naves Caesarianas quae in statione apud Thapsum stabant, veriti ne in adversariorum classem inciderent imprudentes, vela in altum dederunt ac diu multumque iactati tandem multis post diebus siti inopiaque confecti ad Caesarem pervenerunt.

163.

Ibi rebus omnibus provinciae et finitimarum civitatium constitutis non diutius moratur, magnisque itineribus per Cappadociam confectis, biduum Mazacae commoratus, Comana venit, vetustissimum et sanctissimum in Cappadocia Bellonae templum, quod tanta religione colitur ut sacerdos eius deae maiestate, imperio, potentia secundus a rege consensu gentis illius habeatur. Id sacerdotium homini nobilissimo adiudicavit, qui regio Cappadocum genere ortus iure minime dubio repetebat.

164. Address to the Emperor Augustus, whose Greatness is contrasted with the Small Power of Romulus.

Sancte pater patriae, tibi plebs, tibi curia nomen
  hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen eques.
Hoc tu per terras, quod in aethere Iuppiter alto
  nomen habes: hominum tu pater, ille deum.
Romule, concedas; facit hic tua magna tuendo
  moenia; tu dederas transilienda Remo.
Tu breve nescio quid victae telluris habebas;
  quodcunque est alto sub Iove, Caesar habet.
Vis tibi grata fuit; florent sub Caesare leges,
  tu domini nomen, principis ille tenet.

165.

Pyrrhus, rex Epiri, non tam Samnitium et Lucanorum precibus quam spe vincendae Italiae inductus venturum se cum exercitu pollicetur. Itaque relicto custode regni filio, annos XV nato, exercitum in portu Tarentino exponit; cuius audito adventu consul Romanus, Valerius Laevinus, festinans ut prius cum eo pugnaret quam auxilia sociorum convenirent, exercitum in aciem educit. Nec rex, tametsi numero militum inferior erat, certamini moram fecit. Sed Romanos, iam vincentes, elephanti stupere primum, mox cedere proelio coegerunt: victoresque nova Macedonum monstra repente vicerunt.

166.

Iam totam Syriam, iam Phoenicen, excepta Tyro, Macedones possidebant. Tyrus, et fama et magnitudine ante omnes urbes Syriae Phoenicesque memorabilis, facilius societatem Alexandri acceptura esse videbatur quam imperium. Coronam igitur auream legati donum afferebant, commeatusque ex oppido advexerant. Ille dona, ut ab amicis, accipi iussit; benigneque legatos allocutus, Herculi, quem praecipue Tyrii colerent, sacrificare se velle dixit. Macedonum reges credidere ab illo deo se genus ducere. Legati respondent esse templum Herculis extra urbem: ibi regem deo sacrum rite facturum.

167. WHERE IS DONACE?

Quae colitis silvas Dryades, quaeque antra Napaeae,
et quae marmoreo pede Naiades uda secantes
litora purpureos alitis per gramina flores,
dicite quo prato Donacen, qua forte sub umbra
inveniam, roseis stringentem lilia palmis?
Nam mihi iam trini perierunt ordine soles
ex quo consueto Donacen exspecto sub antro.
Interea, tamquam nostri solamen amoris
hoc foret, aut posset rabidos medicare furores,
nulla meae trinis tetigerunt gramina vaccae
solibus his, nulloque biberunt amne liquores.

168.

C. Marius, cum a spe consulatus longe abesset, et iam septimum annum post praeturam privatus esset, Q. Metellum, cuius legatus erat, summum virum et civem, cum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum Romanum criminatus est, bellum illum ducere: si se consulem fecissent, brevi tempore aut vivum aut mortuum Iugurtham se in potestatem populi Romani redacturum. Itaque factus est ille quidem consul; sed a fide iustitiaque discessit qui optimum et gravissimum civem, cuius legatus et a quo missus esset, in invidiam falso crimine adduxerit.

169.

Signo sub idem tempus dato concurritur: acriter varieque pugnatur. Nam prima legio, cum extra fossam in equites regis impetum fecisset, adeo secundum proelium fecit ut moenibus oppidi succederet fossamque transiret. Sed victrices regiae copiae cornu suo dextro mediaque acie converterunt se ad primam legionem. Quae tamen fortiter vincentium impetum sustinuit, magnisque copiis hostium circumdata praesentissimo animo pugnans se recepit ad radices montium; quo Pharnaces insequi propter iniquitatem loci noluit.

170. The Sparrow and the Hare.

Sibi non cavere, et aliis consilium dare
stultum esse, paucis ostendamus versibus.
Oppressum ab aquila, et fletus edentem graves
leporem obiurgabat passer: 'Ubi pernicitas
nota,' inquit, 'illa est? quid ita cessarunt pedes?'
Dum loquitur, ipsum accipiter necopinum rapit,
questuque vano clamitantem interficit:
lepus semianimus: 'Mortis en solatium!
qui modo securus nostra inridebas mala,
simili querela fata deploras tua.'

171.

Erant in medio amne insulae crebrae, in quas et Indi et Macedones nantes levatis super capita armis transibant. Ibi levia proelia conserebant. Sed in Macedonum exercitu temeritate atque audacia insignes fuere Symmachus et Nicanor, nobiles iuvenes et perpetua partium felicitate ad spernendum omne periculum accensi: quibus ducibus promptissimi iuvenum lanceis modo armati transnavere in insulam quam frequens hostis tenebat: multosque Indorum, nulla re magis quam audacia armati, interfecerunt. Sed tandem eminus obruti telis erant: qui effugerant hostem, impetu amnis ablati sunt.

172. (Compare No. 143.)

Cum rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset, cumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente, perfuga ab eo venit in castra Fabricii eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum idque eius factun laudatum a senatu est.

173. A Gift of the Gods.

'Dicite, iuste senex et femina coniuge iusto
digna, quid optetis.' Cum Baucide pauca locutus,
iudicium superis aperit commune Philemon:
'Esse sacerdotes delubraque vestra tueri
poscimus; et quoniam concordes egimus annos,
auferat hora duos eadem, nec coniugis umquam
busta meae videam, neu sim tumulandus ab illa.'

174. Foundation of Rome: a Dispute.

Cum inter se Romulus et Remus de condenda urbe disputarent, in qua ipsi pariter regnarent, Romulus locum qui sibi idoneus videretur in monte Palatino

designabat, Romamque appellari volebat: contra Remus in alio colle, qui aberat a Palatino millibus quinque urbem condere, eundemque locum ex suo nomine Remuriam appellare cupiebat. Cum igitur ea inter eos non finiretur contentio, placuit arbitros eius controversiae deos sumere.

175. Same continued.

Cum auspicaretur Romulus in Palatino, Remus in Aventino, sex vultures pariter volantes a sinistra Remo prius visi sunt. Misit igitur qui Romulo nuntiarent, sibi iam data esse auspicia, quibus condere urbem iuberetur, itaque ad se iam veniret. Cum ad eum Romulus venisset, quaesissetque quaenam illa auspicia fuissent, dixit sibi sex vultures simul apparuisse.

176. Same concluded.

'At ego' inquit Romulus, 'iam tibi duodecim demonstrabo'; ac repente duodecim vultures apparuerunt cum caeli fulgore pariter tonitruque. Tum Romulus 'Quid' inquit 'Reme, contra affirmare potes cum haec intuearis?' Urbem Romulus ex suo nomine Romam vocavit, cumque muniret moenibus, edixit nequis vallum transiliret, quod Remus inridens transilivit et a Celere centurione occisus est.

177. Strange Races of Men.

Esse Scytharum genera dicuntur quae corporibus humanis vescantur. Hoc incredibile fortasse, nisi cogitemus in medio orbe terrarum, Sicilia et Italia, fuisse Cyclopas et Laestrygonas, et nuperrime trans Alpes hominem immolari gentium earum more solitum. Iuxta eos, qui sunt ad septentrionem versi, produntur Arimaspi uno oculo in media fronte insignes, quibus sempiternum bellum est cum gryphis, ferarum volucri genere. In Albania gigni dicuntur quidam a pueritia statim cāni, qui noctu plus quam interdiu cernant.

178. The Golden Age.

Felix nimium prior aetas,
contenta fidelibus arvis,
nec inerti perdita luxu.
Nondum maris alta secabat,
nec mercibus undique lectis
nova litora viderat hospes.
Utinam modo nostra redirent
in mores tempora priscos!
Sed saevior ignibus Aetnae
fervens amor ardet habendi.

179. The Flight of Medea.

Mater adhuc ambas tendebat in aequora palmas
et soror atque omnes aliae matresque nurusque
Colchides aequalesque tibi, Medea, puellae.
Exstat sola parens impletque ululatibus auras.
'Siste fugam, medio refer huc ex aequore puppem;
nata, potes. Quo' clamat 'abis? hic turba tuorum
omnis et iratus nondum pater; haec tua tellus
sceptraque. Quid terris solam te credis Achaeis?'

180.

Aeneas, Troia Graecis prodita, cum patrem Anchisen humeris gestans, et parvulum filium manu trahens noctu excederet, orta luce cognitus ab hostibus, non modo a nullo interrogatus, sed etiam a rege Agamemnone quo vellet ire permissus, Idam petit: ibique navibus fabricatis, oraculi monitu Italiam petit.

181. The Gordian Knot.

Alexander, cum Gordium venisset, Iovis templum intravit. Ibi aspexit currum, cuius erat iugum compluribus nodis astrictum. Incolis affirmantibus praedictum esse oraculo, eum Asiae esse potiturum qui inexplicabile vinculum solvisset, cupido incessit sortis eius implendae. Nequaquam diu luctatus cum latentibus nodis, 'Nihil,' inquit, 'interest quomodo solvantur': gladioque ruptis omnibus oraculi sortem vel elusit vel implevit.

182.

Pompeius, ut equitatum suum pulsum vidit atque eam partem cui maxime confidebat perterritam, aliis diffisus acie excessit protinusque se in castra equo contulit et eis centurionibus quos in statione ad praetoriam portam posuerat clare, ut milites exaudirent, 'Tuemini,' inquit, 'castra, et defendite diligenter, si quid durius acciderit. Ego reliquas portas circumeo et castrorum praesidia confirmo.' Haec cum dixisset, se in praetorium contulit. Caesar, Pompeianis ex fuga intra vallum compulsis, nullum spatium dari oportere existimans milites cohortatus est ut beneficio fortunae uterentur castraque oppugnarent.

183. A Foot Race.

Hoc pius Aeneas misso certamine tendit
gramineum in campum, quem collibus undique curvis
cingebant silvae, mediaque in valle theatri
circus erat; quo se multis cum milibus heros
consessu medium tulit exstructoque resedit.
Hic, qui forte velint rapido contendere cursu,
invitat pretiis animos et praemia ponit.
Undique conveniunt Teucri mixtique Sicani:
Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:
'Accipite haec animis, laetasque advertite mentes:
nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.'

184. A Forgiving Spirit.

Cum eum propter invidiam cives sui praeficere exercitui noluissent duxque esset delectus belli imperitus, cuius errore eo esset deducta illa multitudo militum, ut omnes de salute pertimescerent, quod locorum angustiis clausi ab hostibus obsidebantur, desiderari coeptus est Epaminondas: a quo cum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliae et exercitum obsidione liberatum domum reduxit incolumem. Nec vero hoc semel fecit, sed saepius.

185.

Caesar Alexandriae de Pompei morte cognoscit atque ibi primum e nave egrediens clamorem militum audit, quos rex Ptolemaeus in oppido praesidii causa reliquerat, et concursum ad se fieri videt. Amici enim regis, sive timore adducti ne Pompeius Alexandriam Aegyptumque occuparet, sive despecta eius fortuna, clam consilio inito, hominem quendam singulari audacia et L. Septimium, tribunum militum, ad interficiendum Pompeium miserant.

186.

Catinienses, cum fides a Syracusanis non servaretur, legatos Athenas mittunt, qui sordida veste, capillo barbaque promissis, et omni squaloris habitu ad misericordiam commovendam contionem deformes adeunt. Adduntur precibus lacrimae ; et ita misericordem populum supplices movent, ut damnarentur duces qui a Sicilia auxilia prius missa deduxerant. Igitur classis ingens decernitur: creantur duces Nicias et Alcibiades et Lamachus; tantisque viribus Sicilia repetitur, ut ipsis terrori essent, in quorum auxilia mittebantur.

187.

Cum adversus Hasdrubalem Livius Salinator bellum gesturus urbe egrederetur, monente Fabio Maximo, ne ante pugnaret quam hostium vires animumque cognosceret, primam occasionem pugnandi non omissurum se respondit. Interrogatus ab eodem quid ita festinanter manum conserere vellet, 'Ut quam celerrime,' inquit, 'aut gloriam ex hostibus victis aut ex civibus prostratis gaudium capiam.'

188. Aeneas and the Sibyl.

Antra Sibyllae
intrat, et ut manes adeat per Averna paternos
orat. At illa diu vultus tellure moratos
erexit, tandemque deo furibunda recepto,
'Magna petis,' dixit, 'vir factis maxime, cuius

dextera per ferrum, pietas spectata per ignes.
Pone tamen, Troiane, metum; potiere petitis,
Elysiasque domos, et regna novissima mundi
me duce cognosces, simulacraque cara parentis.
Invia virtuti nulla est via.' Dixit, et auro
fulgentem ramum silva Iunonis Avernae
monstravit, iussitque suo divellere trunco.

189.

Aedes Minervae est Syracusis, quam Marcellus plenam atque ornatam reliquit; quae a Verre sic spoliata est, non ut ab hoste aliquo, sed ut a barbaris praedonibus vexata esse videatur. Pugna erat equestris Agathoclis regis in tabulis picta: iis autem tabulis interiores templi parietes vestiebantur. Nihil erat ea pictura nobilius, nihil Syracusis quod magis visendum putaretur. Has tabulas M. Marcellus religione impeditus non attigit: Verres omnes abstulit, parietes, quorum ornatus tot saecula manserant, tot bella effugerant, nudos ac deformatos reliquit.

190. Cicero's Letters to Atticus.

Atticum praecipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior. Ei rei sunt indicio praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, XVI volumina epistularum, ab consulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quae qui legat non multum desideret historiam eorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus rei publicae perscripta sunt, ut nihil in eis non appareat.

191. The Burning of Hector's body.

Stant circum Iliades matres manibusque decoros
corrumpunt crines laniataque pectora plangunt,
tollitur et iuvenum magno cum murmure clamor
flebilis: ardebat flamma namque Ilion illa.
Inter quos gemitus laniato corpore coniunx
provolat Andromache mediosque immittere in ignes

se cupit Astyanacta tenens, quam iussa suarum
turba rapit comitum: contra tamen usque resistit,
donec conlapsae ceciderunt robora flammae
inque leves abiit tantus dux ille favillas.

192. How a famous City escaped Destruction.

Cum ad excidium urbis Lampsaci summo studio Alexander ferretur, progressumque extra moenia Anaximenem, praeceptorem suum, vidisset, quia manifestum erat fore ut preces suas irae eius opponeret, non facturum se quod petiisset iuravit. Tunc Anaximenes, 'Peto,' inquit, 'ut Lampsacum diruas.' Hoc callido consilio oppidum vetusta nobilitate inclitum exitio, cui destinatum erat, subtraxit.

193.

Corfinium Caesar obsidebat. Domitius, qui inclusus tenebatur, imperavit medico eidemque servo suo, ut sibi venenum daret. Cum nolentem videret, 'Quid cunctaris?' inquit. Tum ille promisit venenum, et medicamentum innoxium bibendum illi dedit. Quo cum sopitus esset, accessit medicus ad filium eius et, 'Iube,' inquit, 'me custodiri, donec ex eventu intellegas an venenum patri tuo dederim.' Vixit Domitius, et servatus a Caesare est: prior tamen illum servus servaverat.

194. Aeolus ruling the Winds.

Hic vasto rex Aeolus antro
luctantes ventos tempestatesque sonoras
imperio premit ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
circum claustra fremunt; celsa sedet Aeolus arce
sceptra tenens mollitque animos et temperat iras:
ni faciat, maria ac terras caelumque profundum
quippe ferant rapidi secum verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris
hoc metuens, molemque et montes insuper altos
imposuit regemque dedit.

195.

Phocion Atheniensis fuit perpetuo pauper, cum divitissimus esse posset propter frequentes delatos honores potestatesque summas quae ei a populo dabantur. Hic cum a rege Philippo munera magnae pecuniae repudiaret legatique hortarentur accipere simulque admonerent, si ipse iis facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in tanta paupertate tantam paternam tueri gloriam, his ille, 'Si mei similes erunt, idem hic,' inquit, 'agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.'

196.

Cyrus occulte adversus fratrem bellum parabat. Quod cum nuntiatum Artaxerxi esset, arcessitum ad se fratrem compedibus aureis vinxit; interfecissetque ni mater prohibuisset. Dimissus igitur Cyrus iam non occulte bellum, sed palam parare coepit: auxilia undique contrahit. Cum in bello fors proelii utrumque fratrem pugnae obtulisset, prior Artaxerxes a fratre vulneratur: quem cum equi fuga periculo subtraxisset, Cyrus a cohorte regia oppressus interficitur. Decem milia Graecorum Cyro opem tulerant: qui, post mortem Cyri, neque armis a tanto exercitu vinci neque dolo capi potuerunt.

197.

Interea praemissi equites ex urbe Latina,
cetera dum legio campis instructa moratur,
ibant et Turno regis responsa ferebant,
ter centum, scutati omnes, Volcente magistro.
Iamque propinquabant castris murosque subibant
cum procul hos laevo flectentes limite cernunt,
et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
prodidit immemorem radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visum: conclamat ab agmine Volcens:
'State, viri: quae causa viae? quive estis in armis?
quove tenetis iter?' Nihil illi tendere contra,
sed celerare fugam in silvas et fidere nocti.

198.

Vatinius Brundisi cum esset, cognitis rebus quae gestae erant in Illyrico, cum crebris litteris M. Octavium audiret cum barbaris foedera fecisse compluribusque locis nostrorum militum oppugnare praesidia, partim classe per se, partim pedestribus copiis per barbaros, etsi gravi valetudine adfectus vix corporis viribus animum sustentabat, tamen virtute vicit incommodum naturae difficultatesque et hiemis et subitae praeparationis. Profectus est in Illyricum maritimasque non nullas civitates, quae defecerant Octavioque se tradiderant, recipiebat: Octavium oppugnantem Epidaurum terra marique, ubi nostrum erat praesidium, adventu suo discedere ab oppugnatione coegit praesidiumque nostrum recepit.

199.

Urbium Aegyptiarum maxima est Alexandria, quam multa nobilitant, et magnificentia conditoris altissimi et architecti sollertia Dinocratis. Ibi aer tranquillus et clemens, ac nullo paene die incolae solem serenum non vident. Inter templa eminet Serapeum, in quo bibliothecae fuerunt pretio inaestimabiles: memoriae proditum est septingenta voluminum milia, Ptolemaeis regibus composita, bello Alexandrino, dum diripitur urbs sub dictatore Caesare, conflagrasse. Aedificavit in portu Cleopatra turrim excelsam, quae Pharus a loco ipso dicitur, ut lumina navigantibus nocturna ministraret.

200. Kindly Reproach to a Bad Correspondent.

Cur tua cessavit pietas, scribentibus illis
  exiguus nobis cum quibus usus erat?
Cur, quotiens alicui chartae sua vincula dempsi,
  illam speravi nomen habere tuum?
Di faciant, ut saepe tua sit epistula dextra
  scripta; sed e multis reddita nulla mihi.
Innumeri montes inter me teque, viaeque
  fluminaque et campi, nec freta pauca, iacent:
mille potest causis, a te quae littera saepe
  missa sit, in nostras rara venire manus.

201.

M. Atilius Regulus, cum in Africa ex insidiis captus esset, iuratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Itaque quid fecit? In senatum venit: mandata exposuit: sententiam ne diceret, recusavit: quamdiu iureiurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Reddi captivos negavit esse utile: illos enim adulescentes esse et bonos duces, se iam confectum senectute. Cuius cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt: ipse Carthaginem rediit; neque eum caritas patriae retinuit nec suorum.

202.

Postquam nulla condicione cogere hostes poterat ut in aequum locum descenderent, neque ipse propius hostem castra ponere propter aquae penuriam se posse animadvertebat, hostes non virtute confidere sed aquarum inopia fretos despicere se intellexit, XVI milia nocte progressus ad Thapsum, ubi Vergilius cum grandi praesidio praeerat, castra ponit oppidumque eo die circummunire coepit locaque idonea opportunaque complura praesidiis occupare, hostes ne intrare ad se ac loca interiora capere possent. Scipio interim eum per superiora loca consecutus milia passuum VIII a Thapso binis castris consedit.

203.

Hispania, inter Africam et Galliam posita, Oceani freto et Pyrenaeis montibus clauditur. Sicut minor utraque terra, ita utraque fertilior. Nam neque, ut Africa, violento sole torretur, neque, ut Gallia, assiduis ventis fatigatur; sed media inter utramque, hinc temperato calore, inde felicibus et tempestivis imbribus, in omnia frugum genera fecunda est: adeo ut non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiae urbique Romanae, cunctarum rerum abundantiam sufficiat. Hinc enim non frumenti tantum magna copia est, sed etiam vini, mellis, olei.

204.

In tanta saeculorum serie nullus Hispanis dux magnus praeter Viriathum fuit, qui annis decem adversum Romanos varia fortuna pugnavit. Illum non iudicio populi electum, sed ut cavendi scientem declinandorumque periculorum peritum secuti sunt. Cuius ea virtus fuit ut, cum consulares exercitus saepe vicisset, tantis rebus gestis, non armorum, non vestis cultum mutaverit: sed in eo habitu quo primum bellare coeperat, perseveraverit, ut quivis miles ipso imperatore opulentior videretur.

205.

Iamque duae stabant acies fulgentibus armis,
cum Paris, exitium Troiae funestaque flamma,
armatum adverso Menelaum ex agmine vidit,
seque velut viso perterritus angue recepit
ad socios amens. Quem postquam turpiter Hector
confusum terrore videt, 'Pro dedecus!' inquit,
'aeternum patriae, generisque infamia nostri,
terga refers? ubi nunc vires, ubi cognita nobis
ludorum quondam vario certamine vis est?'

206.

Scipio cum existimasset pro suo beneficio sine dubio ab his gratias sibi actum iri, potestatem eis dicendi fecit. Ex eis centurio legionis XIV, 'Pro tuo,' inquit, 'summo beneficio, Scipio, tibi gratias ago, quod mihi vitam incolumitatemque belli iure capto polliceris, et forsan isto uterer beneficio, si non ei summum scelus adiungeretur. Egone contra Caesarem, imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, armatus consistam? Neque ego istud facturus sum et te magnopere ut de negotio desistas adhortor. Contra cuius enim copias contendas, si minus antea expertus es, licet nunc cognoscas.'

207.

Saepenumero, imperator, complures Gaetūli, qui sumus clientes C. Mari, et prope omnes cives Romani qui sunt in legione III et VI, ad te volumus in tuaque praesidia confugere; sed custodiis equitum Numidarum quominus id sine periculo faceremus impediebamur. Nunc data facultate ad te cupidissime venimus, missi ab Scipione ut prospiceremus num quae fossae aut insidiae elephantis ante castra factae essent, simulque consilia vestra contra easdem bestias cognosceremus atque eis renuntiaremus.

208. Content with Little.

Divitias alius fulvo sibi congerat auro,
 et teneat culti iugera multa soli:
me mea paupertas vita traducat inerti,
 dum meus adsiduo luceat igne focus.
At vos, exiguo pecori, furesque lupique,
 parcite: de magno praeda petenda grege.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
 rusticus et facili grandia poma manu.
Parva seges satis est; satis est, requiescere lecto
 si licet et solito membra levare toro.
Hoc mihi contingat: sit dives iure, furorem
 qui maris et tristes ferre potest pluvias.

209.

Matris Magnae fanum ibi est. In hoc fano loricas galeasque aeneas Scipio, vir omnibus rebus praecellentissimus, posuerat et suum nomen inscripserat. Omnia illa, iudices, abstulit Verres, nihil in religiosissimo fano praeter vestigia violatae religionis nomenque P. Scipionis reliquit; hostium spolia, monumenta imperatorum, decora atque ornamenta fanorum posthac, his praeclaris nominibus amissis, in supellectile C. Verris nominabuntur. Audite etiam singularem eius, iudices, cupiditatem, audaciam, amentiam, in iis sacris

polluendis quae non manibus attingi fas fuit. Sacrarium Cereris est apud Catinenses; signum deae perantiquum noctu clam istius servi ex illo religiosissimo loco sustulerunt.

210.

M. Cato, ortus municipio Tusculo, adulescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. Inde Romam demigravit in foroque esse coepit. Primum stipendium meruit annorum decem septemque. Tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudii Neronis, magnique opera eius existimata est in proelio apud Senam, quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. Quaestor erat P. Africano, a quo perpetua dissensit vita. Aedilis plebi factus est cum C. Helvio. Praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua quaestor superiore tempore ex Africa decedens Q. Ennium poetam deduxerat.

211. THE QUEEN HANGS HERSELF.

Accidit haec fessis etiam fortuna Latinis,
quae totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
incessi muros, ignes ad tecta volare,
nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni,
infelix pugnae iuvenem in certamine credit
exstinctum et subito mentem turbata dolore
se causam clamat crimenque caputque malorum,
multaque per maestum demens effata furorem
purpureos moritura manu discindit amictus
et nodum informis leti trabe nectit ab alta.

212.

Non videtur esse praetermittendum de virtute militis v legionis. Nam cum in sinistro cornu elephas vulnere ictus et dolore concitatus in lixam inermem impetum fecisset, eumque sub pede subditum, dein genu innixus

pondere suo, proboscide erecta vibrantique stridore maximo, premeret atque enecaret, miles hic non potuit pati quin se armatus bestiae offerret. Quem postquam elephas ad se venire animadvertit, relicto cadavere militem proboscide circumdat atque in sublime extollit. Armatus, qui in eiusmodi periculo constanter agendum sibi videret, gladio proboscidem qua erat circumdatus caedere quantum poterat non destitit. Quo dolore adductus elephas milite abiecto cum stridore conversus ad reliquas bestias se recepit.

213.

Cum quaestor in Sicilia fuissem, iudices, itaque ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus iucundam diuturnamque memoriam nominis mei relinquerem, factum est ut non nullum in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populati atque vexati cuncti ad me publice saepe venerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemque susciperem; me saepe esse pollicitum, saepe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum. Venisse tempus aiebant, non iam ut commoda sua, sed ut vitam salutemque totius provinciae defenderem.

214.

Vix e conspectu exierat campumque tenebat,
cum pater Aeneas saltus ingressus apertos
exsuperatque iugum silvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
agmine, nec longis inter se passibus absunt;
ac simul Aeneas fumantes pulvere campos
prospexit longe Laurentiaque agmina vidit,
et saevum Aenean agnovit Turnus in armis
adventumque pedum flatusque audivit equorum.
Continuoque ineant pugnas et proelia temptent,
ni roseus fessos iam gurgite Phoebus Ibero
tingat equos noctemque die labente reducat.

215.

Interim Penthesilea, Amazonum regina, cum magna manu advenit. Quae postquam interemptum Hectorem cognovit, perculsa morte eius, regredi domum cupiebat; sed multo auro ab Alexandro illecta, ibidem manere statuit. Exactis aliquot diebus, copias suas armis instruit: cornu dextro sagittariis, altero pedibus firmato, medios equites collocat, in quibus ipsa erat. Conflixere acies: cadunt sagittis reginae plurimi. At Achilles inter equitum turmas Penthesileam nactus hastā petit: equo deturbat, manu comprehendit comā, atque ita graviter vulneratam detrahit. Quod ubi visum est, tum vero nullam spem in armis rati fugam faciunt Troiani: Graeci insecuti obtruncant: feminis tamen abstinebant manus parcebantque. Deinde ut quisque victor regrediebatur, Penthesileam visere semianimam, admirarique audaciam.

216.

In Alpibus Cottiis praecelsum erigitur iugum, nemini fere sine discrimine adeundum. Est enim e Gallia venientibus pronum et declive, saxis pendentibus terribile, praesertim verno tempore, cum liquente gelu nivibusque solutis per ruptas utrimque angustias et hiatus sub pruina congesta latentes, procidunt homines cunctantibus pedibus descendentes et iumenta: idque remedium ad arcendam perniciem solum est repertum, quod pleraque vehicula validis funibus illigata, pone cohibente virorum vel boum nisu, vix gressu reptante paulo tutius devolvuntur. Hieme vero humus frigoribus solida et lēvis incessum praecipitantem impellit, et valles glacie perfidae vorant non numquam transeuntes.

217. The Volsci attack the besieged Trojans.

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
increpuit, sequitur clamor caelumque remugit.
Accelerant acta pariter testudine Volsci

et fossas implere parant ac vellere vallum.
Quaerunt pars aditum et scalis ascendere muros
qua rara est acies. Telorum effundere contra
omne genus Teucri ac duris detrudere contis,
adsueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
possent tectam aciem perrumpere, cum tamen omnes
ferre iuvat subter densa testudine casus.

218.

M. Cato interim, qui Uticae praeerat, Cn. Pompeium multis verbis culpare non desistebat. 'Tuus,' inquit, 'pater, istuc aetatis cum esset et animadvertisset rem publicam ab nefariis sceleratisque civibus oppressam, bonosque cives aut interfectos esse aut exules patria carere, gloria et animi magnitudine elatus, privatus atque adulescentulus, paterni exercitus reliquiis collectis paene oppressam funditus et deletam Italiam urbemque Romanam in libertatem vindicavit, idemque Siciliam, Africam, Numidiam, Mauretaniam mirabili celeritate armis recepit. Quibus ex rebus sibi eam dignitatem quae est per gentes clarissima notissimaque conciliavit, adulescentulusque atque eques Romanus triumphavit.'

219.

Quo C. Caesar et Cn. Pompeius die signis collatis in Thessalia pugnaverunt, res accidit Patavii in Transpadana Italia memorabilis. Cornelius quidam sacerdos repente conspicere se procul dixit pugnam acerrimam pugnari; ac deinde caedem, fugam, tela volantia, vulnera, tamquam si ipse in proelio versaretur, coram se videre vociferatus est; ac postea subito exclamavit Caesarem vicisse. Ea Cornelii sacerdotis exclamatio levis tum quidem visa est et stulta. Mox magnae admirationi fuit, quod pugnae dies, quae in Thessalia pugnata est, et proelii exitus idem fuit qui erat praedictus.

220.

Q. Metelli cum gravis, tum etiam alta in senatu sententia; qui, devicta Carthagine, nescire se illa victoria bonine plus an mali rei publicae asseveravit: quoniam, ut pacem restituendo profuisset, ita Hannibalem summovendo nonnihil nocuisset. Eius enim transitu in Italiam, dormientem iam populi Romani virtutem excitatam: metuique debere ne acri aemulo liberata in eundem somnum revolveretur. Aeque igitur mala esse censuit uri tecta, vastari agros, exhauriri aerarium, et prisci roboris nervos hebetari.

221. Proserpine carried off by Dis.

Haud procul Ennaeis lacus est a moenibus altae,
nomine Pergus, aquae. Non illo plura Caystrus
carmina cycnorum labentibus audit in undis.
Silva coronat aquas cingens latus omne, suisque
frondibus, ut velo, Phoebeos summovet ignes.
Frigora dant rami, Tyrios humus umida flores;
perpetuum ver est. Quo dum Proserpina luco
ludit, et aut violas aut candida lilia carpit,
paene simul visa est dilectaque raptaque Diti:
usque adeo est properatus amor. Dea territa maesto
et matrem et comites, sed matrem saepius, ore
clamat, et a tunicis flores cecidere remissis.

222.

Pharus est in insula turris magna altitudine, miris operibus exstructa; quae nomen ab insula cepit. Haec insula, obiecta Alexandriae, portum efficit: in hac sunt domicilia Aegyptiorum et vicus par oppido magnitudine; quaeque naves imprudentia aut tempestate paulum suo cursu decesserunt, has more praedonum diripere solent. Eis autem invitis a quibus Pharus tenetur non potest esse navibus introitus in portum. Hoc tum veritus Caesar, hostibus in pugna occupatis, Pharum prehendit atque ibi praesidium posuit. Quibus est rebus effectum ut tuto frumentum auxiliaque navibus ad eum portari possent.

223. Patriotism of Scipio Africanus.

In ipsa Scipionis Africani villa iacens haec tibi scribo. Animum quidem eius in caelum, ex quo erat, rediisse persuadeo mihi, non quia magnos exercitus duxit, sed ob egregiam moderationem pietatemque, quam magis in illo admirabilem iudico, cum reliquit patriam, quam cum defendit. 'Nihil,' inquit, 'volo derogare legibus; aequum inter omnes cives ius sit. Utere sine me beneficio meo, patria. Exeo, si, plus quam tibi expedit, crevi.' Ego admiror hanc magnitudinem animi, qua in exilium voluntarium secessit. Eo perducta res erat, ut aut libertas Scipioni aut Scipio libertati faceret iniuriam. Neutrum fas erat: itaque locum dedit legibus et se Liternum recepit.

224.

Cetera per terras omnes animalia somno
laxabant curas et corda oblita laborum:
ductores Teucrum primi, delecta iuventus,
consilium summis regni de rebus habebant,
quid facerent quisve Aeneae iam nuntius esset.
Stant longis adnixi hastis et scuta tenentes
castrorum et campi medio. Tum Nisus et una
Euryalus confestim alacres admittier orant;
rem magnam pretiumque morae fore. Primus Iulus
accepit trepidos ac Nisum dicere iussit.
Tum sic Hyrtacides: 'audite o mentibus aequis,
Aeneadae, neve haec nostris spectentur ab annis
quae ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
conticuere: locum insidiis conspeximus ipsi.'

225. A Young Poet.

Ut primum ex pueris excessit Archias, atque se ad scribendi studium contulit, primum Antiochiae—nam ibi natus est loco nobili—celeriter antecellere omnibus ingenii gloria coepit. Post in ceteris Asiae partibus cunctaque Graecia sic eius adventus celebrabantur, ut famam ingenii exspectatio hominis, exspectationem

ipsius adventus admiratioque superaret. Erat Italia tum plena Graecarum artium ac disciplinarum, studiaque haec et in Latio vehementer colebantur, et hic Romae propter tranquillitatem rei publicae non neglegebantur. Itaque hunc Tarentini et Regini et Neapolitani civitate ceterisque praemiis donarunt, et omnes, qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt.

226. A Conversation between Son and Father.

Cicero: Studeo, mi pater, Latine ex te audire ea quae mihi tu Graece dixisti, si modo tibi est otium et si vis.

Pater: An est, mi Cicero, quod ego malim quam te quam doctissimum esse? Otium autem primum est summum, quoniam aliquando Roma exeundi potestas data est; deinde ista tua studia vel maximis meis occupationibus meis anteferrem libenter.

Cicero: Visne igitur, ut tu me Graece soles ordine interrogare, sic ego te vicissim isdem de rebus Latine interrogem?

Pater: Sane, si placet. Sic enim et ego te meminisse intellegam quae accepisti et tu ordine audies quae requires.

227. A River God.

Est nemus Haemoniae, praerupta quod undique claudit
silva; vocant Tempe: per quae Peneus ab imo
effusus Pindo spumosis volvitur undis.
Haec domus, haec sedes, haec sunt penetralia magni
amnis: in his, residens facto de cautibus antro,
undis iura dabat nymphisque colentibus undas.

228. Scipio and Ennius.

Maior Scipiades, Italis qui solus ab oris
in proprium vertit Punica bella caput,
non sine Pieriis exercuit artibus arma;
semper erat vatum maxima cura duci.

Gaudet enim virtus testes sibi iungere Musas;
carmen amat quisquis carmine digna facit.
Haerebat doctus lateri castrisque solebat
omnibus in medias Ennius ire tubas.

229.

Cato in omnibus rebus singulari fuit industria: nam et agricola sollers et peritus iuris consultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adulescentia confecit orationes. Senex historias scribere instituit: earum sunt libri VII.

230.

Fuit incertum utrum vir melior an dux esset Epaminondas. Nam imperium non sibi sed patriae semper quaesivit, et pecuniae adeo parcus erat ut sumptus funeri defuerit. Gloriae quoque non cupidior quam pecuniae: quippe recusanti omnia imperia ingesta sunt: honoresque ita gessit ut ornamentum non accipere sed dare ipsi dignitati videretur. Iam litterarum studium, iam philosophiae doctrina tanta, ut mirabile videretur unde tam insignis esset militiae scientia homini inter litteras nato.

231.

Agesilaus, simul atque imperii potitus est, persuasit Lacedaemoniis ut exercitus emitterent in Asiam bellumque regi facerent, docens satius esse in Asia quam in Europa dimicari. Namque fama exierat Artaxerxen comparare classes pedestresque exercitus, quos in Graeciam mitteret. Data potestate tanta celeritate usus est, ut prius in Asiam cum copiis pervenerit, quam regii satrapae eum scirent profectum. Quo factum est ut omnes imparatos imprudentesque offenderet. Id ut cognovit Tissaphernes, qui summum imperium tum inter praefectos habebat regios, indutias ab Agesilao petivit.

232. A Nymph in Flight.

Sed tolerare diu cursus ego, viribus impar,
non poteram: longi patiens erat ille laboris:
per tamen et campos, per opertos arbore montes,
saxa quoque et rupes et qua via nulla, cucurri.
Fessa labore fugae, 'Fer opem (deprendimur)' inquam,
'armigerae, Dictynna, tuae, cui saepe dedisti
ferre tuos arcus inclusaque tela pharetra.'
Quid mihi tunc animi miserae fuit? anne quod agnae est,
siqua lupos audit circum stabula alta frementes?
aut lepori, qui vepre latens hostilia cernit
ora canum, nullosque audet dare corpore motus?

233. Tacitus pays Honour to the Memory of Agricola.

Si quis piorum mānibus locus, si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae, placide quiescas, nosque et domum tuam ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est. Admiratione te potius et immortalibus laudibus et, si natura suppeditet, similitudine colamus: is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pietas.

234. Ready wit of a Donkey Driver.

Cum Alexander, Macedonum rex, sorte monitus ut eum qui sibi porta egresso primus occurrisset interfici iuberet, asinarium forte ante omnes obviam factum abripi iussisset, eoque quaerente quidnam se innocentem capitali supplicio puniret, cum rex ad excusandum factum suum oraculi praeceptum rettulisset, asinarius 'Si ita est', inquit, 'alium sors huic morti destinavit; nam asellus, quem ante me agebam, prior tibi occurrit.' Delectatus est Alexander et illius tam callido dicto et quod ab errore ipse revocatus est.

235. A Degenerate Age.

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,
  suis et ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
  minacis aut Etrusca Porsenae manus,
aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer,
  novisque rebus infidelis Allobrox,
nec fera caerulea domuit Germania pube,
  parentibusque abominatus Hannibal,
impia perdemus devoti sanguinis aetas,
  ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus, heu, cineres insistet victor, et urbem
  eques sonante verberabit ungula.

236. The Battle of Arbela.

Post haec proelium committitur. Macedones in ferrum cum contemptu toties a se victi hostis ruebant: contra Persae mori quam vinci malebant. Raro in ullo proelio tantum sanguinis fusum est. Darius, cum vinci suos videret, mori voluit et ipse; sed a proximis fugere coactus est. Suadentibus deinde quibusdam ut pons Cydni fluminis ad iter hostium impediendum intercideretur, 'Non ita se saluti suae velle consultum', ait, 'ut tot milia sociorum hosti obiiciat: debere et aliis fugae viam patere quae patuerit sibi'. Alexander autem periculosissima quaeque aggrediebatur; et ubi confertissimos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper immergebat.

237.

Oppugnabant Athenienses Chium. Erat in classe Chabrias privatus, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat, eumque magis milites quam qui praeerant aspiciebant. Dum primus studet portum intrare gubernatoremque iubet eo dirigere navem, ipse sibi perniciei fuit: cum enim eo penetrasset, ceterae non sunt secutae. Quo facto circumfusus hostium concursu cum fortissime pugnaret, navis rostro percussa coepit

sidere. Hinc refugere cum posset, si se in mare deiecisset, quod suberat classis Atheniensium, quae exciperet natantes, perire maluit quam armis abiectis navem relinquere, in qua fuerat vectus.

238. The Traveller and the Raven.

Quidam per agros devium carpens iter
'Ave' exaudivit; et moratus paululum,
adesse ut vidit neminem, cepit gradum.
Iterum salutat idem ex occulto sonus.
Voce hospitali confirmatus restitit,
ut, quisquis esset, par officium reciperet.
Cum circumspectans errore haesisset diu
et perdidisset tempus aliquot milium,
ostendit sese corvus et super volans
'Ave' usque ingessit. Tum se lusum intellegens
'At male tibi sit', inquit, 'ales pessime,
qui festinantis sic detinuisti pedes.'

239. The Happiness of Living all one's life in the same Country House.

Felix, qui propriis aevum transegit in arvis,
  ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem,
qui baculo nitens in qua reptavit arena
  unius numerat saecula longa casae.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
  nec bibit ignotas mobilis hospes aquas.
Non freta mercator tremuit, non classica miles,
  non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinae nescius urbis
  aspectu fruitur liberiore poli.

240.

Xerxes etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam tum iis opprimere posset hostes. Themistocles, verens ne bellare perseveraret, certiorem eum fecit id agi ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolvereter ac reditu in Asiam excluderetur; idque ei persuasit. Itaque qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus xxx in

Asiam reversus est seque a Themistocle non superatum, sed conservatum iudicavit. Sic unius viri prudentia Graecia liberata est Europaeque succubuit Asia. Haec altera victoria, quae cum Marathonio possit comparari tropaeo.

241.

Consules bellum adversus Samnites gerentes a Pontio, duce hostium, in insidias deducti sunt. Nam ille simulatos transfugas misit, qui Romanis dicerent Luceriam a Samnitibus obsideri, quo duo itinera ducebant, aliud longius et tutius, aliud brevius et periculosius. Itaque festinantibus cum insidias statuisset (locus Furculae Caudinae vocabatur), Pontius accitum patrem Herennium rogavit, quid fieri placeret. Ille ait aut omnes occidendos, ut Romanorum vires frangerentur, aut omnes dimittendos, ut beneficio obligarentur. Utroque tamen abiecto consilio, omnes sub iugum misit ex foedere quod postea a Romanis non probatum est. Postumius consul Samnitibus deditus, nec ab iis receptus est.

242. The Strange Death of Aeschylus.

Aeschyli poetae exitus propter novitatem casus referendus est. In Sicilia moenibus urbis, in qua morabatur, egressus aprico in loco resedit. Super quem aquila testudinem ferens, elusa splendore capitis (erat enim capillis vacuum) tamquam lapidi eam illisit, ut fractae testudinis carne vesceretur. Eoque ictu origo et principium tragoediae extinctum est.

243. The Fox and the Goat.

Homo in periclum simul ac venit callidus,
reperire effugium quaerit alterius malo.
Cum decidisset vulpes in puteum inscia
et altiore clauderetur margine,
devenit hircus sitiens in eundem locum;
simul rogavit, esset an dulcis liquor
et copiosus? Illa fraudem moliens:
'descende, amice; tanta bonitas est aquae,

voluptas ut satiari non possit mea.'
Inmisit se barbatus. tum vulpecula
evasit puteo, nixa celsis cornibus,
hircumque clauso liquit haerentem vado.

244. Vigorous Old Age.

Quattuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, Appius regebat et caecus et senex; intentum enim animum tamquam arcum habebat, nec languescens succumbebat senectuti. Tenebat non modo auctoritatem, sed etiam imperium in suos: metuebant servi, verebantur liberi, carum omnes habebant; vigebat in illo animus patrius et disciplina. Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si ius suum retinet, si usque ad ultimum spiritum dominatur in suos. Ut enim adulescentem in quo est senile aliquid, sic senem in quo est aliquid adulescentis probo, quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo numquam erit.

245. (Compare Nos. 149, 150.)

Themistocles post victoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit in contione se habere consilium rei publicae salutare, sed id sciri non opus esse: postulavit ut aliquem populus daret, quicum communicaret; datus est Aristides. Huic ille, classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse, quo facto frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset. Quod Aristides cum audisset, in contionem magna exspectatione venit dixitque perutile esse consilium, quod Themistocles adferret, sed minime honestum.

246. A Conference on Horseback.

Locus aequo fere spatio ab castris Ariovisti et Caesaris aberat. Eo ad colloquium venerunt. Legionem Caesar, quam equis vexerat, passibus ducentis ab eo loco constituit. Item equites Ariovisti pari intervallo constiterunt. Ariovistus, ex equis ut colloquerentur et praeter se denos ut ad colloquium adducerent, postulavit. Ubi eo ventum est, Caesar initio

orationis sua senatusque in eum beneficia commemoravit, quod rex appellatus esset a senatu, quod amicus, quod munera amplissima missa; quam rem et paucis contigisse et pro magnis hominum officiis consuesse tribui docebat; illum cum non causam postulandi iustam haberet, beneficio ac liberalitate sua ac senatus ea praemia consecutum.

247. Parting of Jason from his Mother Alcimedē.

Increscunt matrum gemitus, et fortia languent
corda patrum; longis flentes amplexibus haerent.
Vox tamen Alcimedes planctus supereminet omnes;
fatur et haec: 'Nate, indignos aditure labores,
dividimur; nec ad hos animum componere casus
ante datum, sed bella tibi terrasque timebam.
Vota aliis facienda deis. Si fata reducunt
te mihi, si trepidis placabile matribus aequor,
possum equidem lucemque pati longumque timorem.
Sin aliud Fortuna parat, miserere parentum,
Mors bona, dum metus est nec adhuc dolor.'

248. Fatal Beauty.

Erant in quadam civitate rex et regina. Hi tres filias, forma conspicuas, habuere. Sed maiores quidem natu, quamvis gratissima specie, idonee tamen celebrari posse laudibus humanis credebantur. At vero puellae minoris tam praeclara pulchritudo neque exprimi ac ne satis quidem laudari sermone humano poterat. Multi denique civium, et advenae quos eximii spectaculi rumor congregabat, admiratione puellae attoniti, ut ipsam deam Venerem adorabant. Iamque proximas civitates et vicinas regiones fama pervaserat. Crescit in dies opinio: insulas iam proximas provinciasque plurimas fama pervagatur. Iam nemo ad conspectum deae Veneris navigabat: templa deformantur: caerimoniae negliguntur. Puellam per vias euntem cives floribus sertis et solutis colunt. Sic honoribus caelestium ad puellae mortalis cultum translatis, verae Veneris vehementer incenditur animus; virginem crudeli fato delere constituit.

249. Kings may be slaves to tyrannous Passions.

Quos vides sedere celso
  solii culmine reges,
purpura claros nitente,
  saeptos tristibus armis,
ore torvo comminantes,
  rabie cordis anhelos;
detrahat si quis superbis
  vani tegmina cultus,
iam videbit intus arctas
  dominos ferre catenas.
Hinc enim libido versat
  avidis corda venenis:
hinc flagellat ira mentem
  fluctus turbida tollens:
maeror aut captos fatigat,
  aut spes lubrica torquet.

250.

Iam Alexander ultima Hyrcaniae intraverat, cum Artabazus cum propinquis Darii ac suis liberis modicaque Graecorum militum manu occurrit. Dextram venienti obtulit rex: nam hospes Philippi fuerat, cum exularet. Comiter igitur exceptus, 'Tu quidem,' inquit, 'rex perpetua felicitate floreas: ego, ceteris laetus, hoc uno torqueor, quod iam senex diu frui tua bonitate non possum': nonagesimum et quintum annum agebat. Novem iuvenes, eadem matre geniti, patrem comitabantur: hos Artabazus dextrae regis admovit, precatus ut tam diu viverent, donec utiles Alexandro essent.

251. An Exile's Letter.

Haec mea si casu miraris epistula quare
  alterius digitis scripta sit, aeger eram:
aeger in extremis ignoti partibus orbis,
  incertusque meae paene salutis eram.
Quem mihi nunc animum dira regione iacenti
  inter Sauromatas esse Getasque putas?

nec caelum patior nec aquis adsuevimus istis,
  terraque nescioquo non placet ipsa modo:
non qui soletur, non qui labentia tarde
  tempora narrando fallat, amicus adest:
lassus in extremis iaceo populisque locisque,
  et subit adfecto nunc mihi quicquid abest.

252. Last Speech of Cyrus.

Apud Xenophontem moriens Cyrus haec dixisse fertur: 'Nolite arbitrari, O mihi carissimi filii, me cum a vobis discessero nusquam aut nullum fore. Neque enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed eum esse in hoc corpore, ex eis rebus quas gerebam, intellegebatis. Eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. Mihi quidem numquam persuaderi potuit animos, dum in corporibus mortalibus essent, vivere; cum autem exissent ex eis, mori. Atque etiam, cum hominis natura morte dissolvitur, ceterarum rerum perspicuum est quo quaeque discedat; abeunt enim illuc omnia unde orta sunt; animus autem solus nec cum adest nec cum discedit apparet. Iam vero videtis nihil esse morti tam simile quam somnum. Sin una interiturus est animus cum corpore memoriam nostri pie inviolateque servabitis.'

253. Poetry sprang from Religion.

Cum primum homines exuta feritate rationem vitae habere coepissent seque et deos suos nosse, cultus ac sermonis magnificentiam ad religionem deorum suorum excogitaverunt. Igitur ut templa suis domibus pulchriora et simulacra corporibus ampliora faciebant, ita sermone augustiore honorandos putaverunt deos, laudesque eorum verbis illustrioribus et iucundioribus extulerunt.

254. To the Muse of History.

O vetustatis memoranda custos,
regios actus simul et fugaces

temporum cursus docilis referre,
  aurea Clio:
tu nihil magnum sinis interire,
nil mori clarum pateris, reservans
posteris prisci monumenta saecli
  condita libris.

255. An Ass complains.

Fortuna mihi pestem minatur. Cogor enim lignum monte devehere, puerque mihi praefectus est omnium deterrimus. Nec me montis excelsi solum arduum fatigat iugum, sed fustium etiam tam crebris ictibus ille caedit, ut semper dolore excrucier. Lignorum vero tanto me premit pondere, ut fascium molem elephanto, non asino paratam putes. Quoties in alterum latus declinat, cum debeat ille potius demere onus, vel certe in alterum latus parte translata aequare, contra lapidibus additis insuper sic iniquitatem ponderis mederi conatur. Cum autem fluvium transcendimus, cruribus suis consulens, ne madeant, ipse quoque insuper insiliens residet.

256. Hannibal's Vow.

Pater meus, Hamilcar, puerulo me, utpote non amplius novem annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine, Iovi optimo maximo hostias immolavit; quae divina res dum conficiebatur, quaesivit a me vellemne secum in castra proficisci. Id cum libenter accepissem atque ab eo petere coepissem ne dubitaret ducere, tum ille, 'faciam,' inquit, 'si mihi fidem quam postulo dederis.' Simul me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque ceteris remotis tenentem iurare iussit, numquam me in amicitia cum Romanis fore. Id ego iusiurandum patri datum usque ad hanc aetatem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus.

257. Caesar describes Britain.

Britanniae pars interior ab iis incolitur, quos natos in insula ipsa memoria proditum dicunt; maritima pars ab iis qui praedae ac belli inferendi causa ex Belgio transierant, qui omnes fere iis nominibus civitatum appellantur quibus orti ex civitatibus eo pervenerunt et bello illato ibi permanserunt atque agros colere coeperunt. Hominum est infinita multitudo creberrimaque aedificia, fere Gallicis consimilia; pecorum magnus numerus.

258.

Ex his omnibus longe sunt humanissimi qui Cantium incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine. Interiores plerique frumenta non serunt, sed lacte et carne vivunt, pellibusque sunt vestiti. Omnes vero se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem, atque hoc horridiores sunt in pugna adspectu: capilloque sunt promisso atque omni parte corporis rasa praeter caput et labrum superius. Uxores habent deni duodenique inter se communes, et maxime fratres cum fratribus parentesque cum liberis.

259.

Romani, Gallorum exercitu pulsi, cum se in Capitolium et in arcem conferrent, inque his collibus morari omnes non possent, necessarium consilium in plana urbis parte seniorum relinquendorum ceperunt, quo facilius iuvenes reliquias imperii tuerentur. Ceterum ne illo quidem tam misero tamque luctuoso tempore civitas nostra virtutis suae oblita est. Ii enim qui magistratus fuerant, apertis ianuis, in curulibus sellis cum insignibus magistratuum quos gesserant sacerdotiorumque quae erant adepti consederunt, ut et ipsi in occasu suo splendorem et ornamenta praeteritae vitae retinerent et plebem ad fortius sustinendos casus sua virtute provocarent.

260. Mourn, Elegy, for thy Dead Poet.

Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
  et tangunt magnas tristia fata deas,
flebilis indignos, Elegeia, solve capillos.
  A! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.
Ille tui vates operis, tua fama, Tibullus
  ardet in exstructo, corpus inane, rogo.
Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram
  et fractos arcus et sine luce facem.
Aspice, demissis ut eat miserabilis alis,
  pectoraque infesta tundat aperta manu.
Excipiunt lacrimas sparsi per colla capilli,
  oraque singultu concutiente sonant.

261. Vercingetorix withdraws to Alesia, followed by Caesar.

Fugato omni equitatu Vercingetorix copias suas, ut pro castris collocaverat, reduxit protinusque Alesiam, quod est oppidum Mandubiorum, iter facere coepit celeriterque impedimenta ex castris educi et se subsequi iussit. Caesar impedimentis in proximum collem deductis, duabus legionibus praesidio relictis secutus, quantum diei tempus est passum, circiter tribus milibus hostium ex novissimo agmine interfectis altero die ad Alesiam castra fecit. Perspecto urbis situ perterritisque hostibus, quod equitatu, qua maxime parte exercitus confidebant, erant pulsi, adhortatus ad laborem milites Alesiam circumvallare instituit.

262.

Tum Philotas, 'Verba,' inquit, 'innocenti reperire facile est. Sed abest optimus causae meae iudex, qui cur me ipse audire noluerit, non mehercule intellego, cum illi, utrimque cognita causa, tam damnare me liceat quam absolvere, sed non cognita liberari ab absente non possum. At quamquam vincti hominis invisa defensio est quae iudicem non docere videtur sed arguere, tamen, utcumque licet dicere, memet ipsum

non deseram, neque ita agam ut damnatus etiam mea sententia videar. Equidem cuius criminis reus sim, non video. Inter coniuratos nemo me nominat: de me accusator scire non potuit. Atqui coniurationis caput me fuisse credit rex. Hoc te rogo, Alexander; quid hac proxima nocte, qua digressus sum a mensa tua feci? Quod novum facinus delatum ad te mutavit animum tuum?'

263.

C. Aviene, quod in Italia milites populi Romani contra rem publicam instigasti rapinasque per municipia fecisti quodque mihi reique publicae inutilis fuisti et pro militibus tuam familiam iumentaque in naves imposuisti tuaque opera militibus tempore necessario res publica caret, ob eas res ignominiae causa ab exercitu meo te removeo hodieque ex Africa proficisci iubeo. Te, A. Fontei, quod tribunus militum seditiosus malusque civis fuisti, ab exercitu dimitto. T. Saliene, M. Tiro, cum ordines in meo exercitu beneficio non virtute consecuti ita vos gesseritis ut neque bello fortes neque pace boni aut utiles fueritis, indignos vos arbitror qui in meo exercitu ordines ducatis.

264. Scipio Africanus sees his Father in a Vision.

Nox similes morti dederat placidissima somnos:
visa viri stare effigies ante ora parentis
atque hac aspectu turbatum voce monere:
'Nate, salus quondam genitoris, nate, parentis
iam post fata decus, bellorum dira creatrix
est vastanda tibi tellus, et caede superbi
ductores Libyae cauta virtute domandi.
Urbs colitur, Teucro quondam fundata vetusto,
nomine Carthago. Tyrius tenet incola muros.'
Talia monstrabat genitor propiusque monebat,
cum iuvenem sopor et dilapsa reliquit imago.
Surgit et infernis habitantia numina lucis
ac supplex patrios compellat nomine manes.

265.

Cum Hannibal Capuam, in qua Romanus exercitus erat, obsideret, Vibius, Paelignae cohortis praefectus, vexillum trans Punicum vallum proiecit, se ipsum suosque commilitones, si eo hostes potiti essent, execratus: et ad id petendum subsequente cohorte primus impetum fecit. Quod ut Valerius Flaccus, tribunus tertiae legionis, aspexit, conversus ad suos, 'Spectatores,' inquit, 'absit istud dedecus a sanguine nostro, ut Romani gloria cedere Latinis velimus. Ego certe aut speciosam opto mortem, aut felicem audaciae exitum: vel solus igitur praecurrere paratus sum.' His auditis Pedanius centurio convulsum signum dextra retinens 'Iam hoc,' inquit, 'intra hostile vallum mecum erit: proinde sequantur, qui id capi nolunt': et cum eo in castra Poenorum irrupit, totamque secum traxit legionem.

266.

Sicilia (ut ferunt) olim continens et agro Bruttio adnexa, post freto maris Siculi abscissa est. Id angustum alterno cursu modo in Tuscum, modo in Ionium pelagus perfluit, atrox, saevum, et Scyllae Charybdisque horrendis nominibus inclitum. Scylla saxum est, Charybdis mare, utrumque noxium navigantibus. Ipsa insula ingens et tribus promuntoriis in diversa procurrens Graecae litterae imaginem quae *delta* dicitur efficit. Pachynum vocatur id quod ad Graeciam spectat; Lilybaeum quod ad Africam: Peloris quod in Italiam vergens Scyllae adversum est. Montes maximi: Eryx maxime memoratus ob delubrum Veneris ab Aenea conditum, et Aetna, quae Cyclopum olim domus nunc assiduis ignibus flagrat.

267.

His malis fracti Lacedaemonii in annos triginta pepigerunt pacem: sed tam longum otium inimicitiae non tulerunt. Itaque intra xv annos rupto foedere, cum deorum hominumque contemptu, fines Atticos populantur: et ne praedam potius quam pugnam expetisse

viderentur, hostes ad proelium provocant. Sed Athenienses consilio Pericli ducis populationis iniuriam ferre malebant, cum ulcisci hostem sine periculo possent. Deinde naves conscendunt, et, nihil sentientibus Lacedaemoniis, totam populantur Laconiam, multoque plura auferunt quam amiserant, prorsus ut in comparatione damnorum longe pluris fuerit ultio quam iniuria.

268. Friends in Need are Rare.

En ego, non paucis olim munitus amicis,
  dum flavit velis aura secunda meis,
ut fera nimboso tumuerunt aequora vento,
  in mediis lacera nave relinquor aquis:
cumque alii nolint etiam me nosse videri,
  vix duo proiecto tresve tulistis opem:
quorum tu princeps: neque enim comes esse, sed auctor,
  nec petere exemplum, sed dare dignus eras.
Turpe putas abigi, quia sit miserandus, amicum,
  quodque sit infelix, desinere esse tuum.

269. Destruction of Nicomedia by Earthquake.

Nicomediae cladem vere breviterque describam. Primo lucis ortu A.D. IX Kal. Septembres densi nubium nigrarum globi laetam paulo antea solis lucem confuderunt. Mox furentes incubuerunt urbi procellae, cuius impetu pulsorum auditus est montium gemitus. Haec secutus horrificus terrae tremor urbem ipsam et loca suburbana everterunt. Et quoniam in clivo collium aedes pleraeque stabant, aliae super alias concidere sonitu ruinarum immenso. Tectorum culmina variis hominum clamoribus resonabant, coniuges liberosque quaeritantium. Multi aedium cadentium sub ipsis interiere ponderibus. Quidam collo tenus obruti, cum superesse possent si qui iuvissent, auxilii inopia necabantur. Alii lignorum exstantium acuminibus fixi pendebant. Uno ictu caesi complures, paulo ante homines, nunc promiscui cadaverum acerbi cernebantur. Et superesse poterant aedium hominumque pars maior, ni rapido cursu ignes per quinquaginta dies et noctes, quidquid consumi poterat, exussissent.

270.

Hunc Labienus excepit et, cum Caesaris copias despiceret, 'Noli,' inquit, 'existimare, Pompei, hunc esse exercitum qui Galliam Germaniamque devicerit. Omnibus interfui proeliis neque temere incognitam rem pronuntio. Perexigua pars illius exercitus superest; magna pars deperiit, quod accidere tot proeliis fuit necesse; multos autumni pestilentia in Italia consumpsit; multi domum discesserunt; multi sunt relicti in continenti. An non audistis ex iis qui per causam valetudinis remanserunt, cohortes esse Brundisi factas? Hae copiae quas videtis ex dilectibus horum annorum in citeriore Gallia sunt refectae. Ac tamen quod fuit roboris duobus proeliis interiit.' Haec cum dixisset, iuravit se nisi victorem in castra non reversurum.

271. No Time at Rome for Poetry.

Anxuris aequorei placidos, Frontine, recessus
  et propius Baias litoreamque domum
dum colui, doctas tecum celebrare vacabat
  Pieridas: nunc nos maxima Roma terit.
Hic mihi quando dies meus est? iactamur in alto
  urbis, et in sterili vita labore perit,
dura suburbani dum iugera pascimus agri
  vicinosque tibi, sancte Quirine, lares.

272.

Frigora mitescunt Zephyris; ver proterit aestas
  interitura, simul
pomifer autumnus fruges effuderit; et mox
  bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant caelestia lunae:
  nos, ubi decidimus
quo pius Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
  ulvis et umbra sumus.

273.

Damon et Phintias fidelem amicitiam inter se iunxerant. Alterum ex his Dionysius Syracusanus capitis damnaverat et collo suspendi iusserat. Itaque hic tempus ab rege impetravit ut domum profectus res suas ordinaret priusquam periret. Dum autem abest, alter se obsidem reditus amici sui dare non dubitavit. Omnes igitur et in primis Dionysius novae atque ancipitis rei exitum speculabantur. Appropinquabat deinde finita dies nec ille redierat. Omnes stultitiae tam temerarium sponsorem damnabant. At is praedicabat se nihil de amici constantia metuere. Eodem autem momento, et hora a Dionysio constituta supervenit, et amicus ex itinere rediit. Tyrannus igitur, amborum animum admiratus, supplicium remisit atque insuper eos rogavit ut se in societatem amicitiae reciperent.

274. A Brave Woman.

Fuit quidam Romae in domo Caesaris multis officiis clarus atque conspicuus. Hic insimulatus quorumdam invidia in exilium est proiectus. Sed uxor eius Plotina, rarae fidei atque singularis pudicitiae femina, spretis urbanae luxuriae deliciis, viri fugientis comes, tonso capillo, in masculinam speciem mutato habitu, inter ipsas custodientium manus et gladios nudos intrepida, zona argento referta incincta, pericula assidua ingenio fortissimo sustinebat. Iam plurimis itineris difficultatibus marisque terroribus toleratis Zacynthum petebat, quam sors eis decreverat sedem. Sed cum ad litus Actiacum navim appulissent, in taberna quadam litori proxima dormiebant. Invadunt latrones et diripiunt omnia: nec tamen sine periculo discesserunt. Nam simul atque primum sonum ianuae matrona percepit, clamoribus magnis cuncta miscuit: milites suosque famulos, omnesque vicinos convocabat. Sed pavore cunctorum, qui sibi quisque metuentes latebant, effectum est ut impune latrones discederent.

275. Fate of the Triumvirs.

Crassum Parthus habet, Libyco iacet aequore Magnus
Iulius ingratam perfudit sanguine Romam:
et, quasi non posset tellus tot ferre sepulcra,
divisit cineres. Hos gloria reddit honores.

276. Why Ovid in Exile cannot write Poetry.

Scribis ut oblectem studio lacrimabile tempus,
  ne pereant turpi pectora nostra situ.
Difficile est quod, amice, mones, quia carmina laetum
  sunt opus et pacem mentis habere volunt.
Nostra per adversas agitur fortuna procellas,
  sorte nec ulla mea tristior esse potest.
Adde quod ingenium longa robigine laesum
  torpet et est multo, quam fuit ante, minus.
Fertilis, assiduo si non renovatur aratro,
  nil nisi cum spinis gramen habebit ager.
Contudit ingenium patientia longa malorum,
  et pars antiqui nulla vigoris adest.

277.

Omne humanum genus, quodque est quodque erit, morietur: omnes quae usquam rerum potiuntur urbes, ubi fuerint, aliquando quaeretur et vario exitii genere tollentur: alias destruent bella, alias desidia paxque ad inertiam versa consumet, et—magnis rebus exitiosa res—luxus. Omnes hos fertiles campos repentina maris inundatio abscondet aut soli lapsus abducet. Quid est ergo quare indigner aut doleam, si exiguo momento publica fata praecedo? Magnus animus deo pareat, et quicquid lex eius iubet, sine cunctatione patiatur: aut in meliorem emittetur vitam aut certe, sine ullo futurus incommodo, naturae remiscebitur et revertetur in totum.

278.

Fabricius Pyrrhi regis aurum reppulit, maiusque regno iudicavit regias opes posse contemnere. Idem medico Pyrrhi promittente venenum se regi daturum

monuit Pyrrhum, caveret insidias. Eiusdem animi fuit auro non vinci, veneno non vincere. Admirati sumus egregium virum, quem non regis, non contra regem promissa flexissent, boni exempli tenacem, qui in summa paupertate, quam sibi decus fecerat, non aliter refugit divitias quam venenum. 'Vive,' inquit, 'beneficio meo, Pyrrhe, et gaude quod adhuc dolebas, Fabricium non posse corrumpi.' Horatius Cocles solus implevit pontis angustias, adimique a tergo sibi reditum iussit, et tamdiu prementibus restitit hostibus, donec revulsa ingenti ruina tigna sonuerunt. Postquam respexit, et extra periculum esse patriam periculo suo sensit, 'Veniat, si quis vult,' inquit, 'sic euntem sequi,' iecitque se in flumen. Haec et eiusmodi facta imaginem nobis ostendere virtutis.

279.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
  quam ferus et vere ferreus ille fuit.
Tum caedes hominum generi, tum proelia nata,
  tum brevior dirae mortis aperta via est.
A! nihil ille miser meruit: nos ad mala nostra
  vertimus, in saevas quod dedit ille feras.
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
  securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret dulcis, nec tristia nossem
  arma, nec audissem corde micante tubam:
nunc ad bella trahor, et iam quis forsitan hostis
  haesura in nostro tela gerit latere.
Sed, patrii, servate, Lares: aluistis et idem,
  cursarem vestros cum tener ante pedes.

280. Holiday Time.

December est mensis: ius luxuriae publicae datum est. Ingenti strepitu sonant omnia, tamquam quicquam inter Saturnalia intersit et dies rerum agendarum: adeo nihil interest ut non videatur mihi errasse qui dixit olim mensem Decembrem fuisse, nunc annum.

Si te hic haberem, libenter te rogarem, quid existimares esse faciendum: utrum nihil ex cottidiana consuetudine movendum an, ne dissidere videremur cum publicis moribus, et hilarius cenandum et exuendum togam. Nam quod fieri nisi in tumultu et tristi tempore civitatis non solebat, voluptatis causa ac festorum dierum vestem mutavimus. Si te bene novi, arbitri partibus functus nec per omnia nos similes esse turbae voluisses nec per omnia dissimiles.

281. Donkey as Venison.

Colonus quidam immanis cervi pinguissimum femur domino suo miserat: quod a coquo incauto pone culinae fores non alte suspensum canis venaticus furtim invaserat, laetusque praeda servorum oculos tutus evaserat. Quo damno cognito, suaque reprehensa neglegentia coquus diu lamentatus lacrimis inutilibus, iam iamque domino cenam flagitante maerens, spe abiecta, arrepto funiculo, filium suum parvulum complexus, mortem sibi nexu laquei comparabat. Nec tamen latuit fidam uxorem eius casus extremus mariti sed funestum nodum violenter manibus ambabus prehendens, 'Adeone,' inquit, 'praesente malo perterritus mente excidisti tua? nec fortuitum istud remedium, quod deorum providentia subministrat, intueris? Nam si quid in ultimo fortunae turbine respicis, mihi ausculta: istum asinum remoto quodam loco seductum iugula, femurque eius ad similitudinem perditi detractum et accurate percoctum, appone domino.' Coquo placuit consilium, et, multum conservae sagacitate laudata, destinatae iam bestiae cultros acuebat.

282. Cranes exhibit a Remarkable Kind of Flight in their Migrations. They form a Triangle in order to cut through the Air more easily; and the Leader, having the Hardest Work, is often changed.

Illud vero ab Aristotele animadversum, a quo pleraque, quis potest non mirari? Grues cum loca

calidiora petentes maria transmittant, trianguli efficere formam; eius autem summo angulo aer ab iis adversus pellitur; deinde sensim ab utroque latere, tamquam remis, ita pinnis cursus avium levatur. Basis autem trianguli, quem efficiunt grues, ea tamquam a puppi ventis adiuvatur, eaeque in tergo praevolantium colla et capita reponunt, quod quia ipse dux facere non potest, quia non habet ubi nitatur, revolat, ut ipse quoque quiescat. In eius locum succedit ex iis, quae adquierunt, eaque vicissitudo in omni cursu conservatur. Multa eius modi proferre possum, sed genus ipsum videtis. Iam vero illa etiam notiora, quanto se opere custodiant bestiae, ut in pastu circumspectent, ut in cubilibus delitescant.

283. Birthday in Exile.

Ecce supervacuus (quid enim fuit utile gigni?)
 ad sua natalis tempora noster adest.
dure, quid ad miseros veniebas exulis annos?
 debueras illis imposuisse modum.
si tibi cura mei, vel si pudor ullus inesset,
 non ultra patriam me sequerere meam.
scilicet exspectas solitum tibi moris honorem,
 pendeat ex umeris vestis ut alba meis,
fumida cingatur florentibus ara coronis,
 micaque sollemni turis in igne sonet,
libaque dem proprie genitale notantia tempus,
 concipiamque bonas ore favente preces.
non ita sum positus, nec sunt ea tempora nobis,
 adventu possim laetus ut esse tuo.
funeris ara mihi, ferali cincta cupresso,
 convenit et structis flamma parata rogis.
nec dare tura libet nil exorantia divos,
 in tantis subeunt nec bona verba malis.
si tamen est aliquid nobis hac luce petendum,
 in loca ne redeas amplius ista, precor,
dum me terrarum pars paene novissima, Pontus,
 Euxinus falso nomine dictus, habet.

284. Description of the Caudine Forks. The Romans caught (compare No. 241).

Ita natus locus est: saltus duo alti angusti silvosique sunt, montibus circa perpetuis inter se iuncti. Iacet inter eos satis patens clausus in medio campus herbidus aquosusque, per quem medium iter est. Sed antequam venias ad eum, intrandae primae angustiae sunt, et aut eadem, qua te insinuaveris, retro via repetenda aut, si ire porro pergas, per alium saltum artiorem inpeditioremque evadendum. In eum campum via alia per cavam rupem Romani demisso agmine cum ad alias angustias protinus pergerent, saeptas deiectu arborum saxorumque ingentium obiacentem molem invenere. Cum fraus hostilis apparuisset, praesidium etiam in summo saltu conspicitur. Citati inde retro, qua venerant, pergunt repetere viam. Eam quoque clausam sua obice armisque inveniunt.

285. Accept this Book, and make Allowances for any Defects which Adversity may have caused.

Hoc quoque nescioquid nostris adpone libellis,
  diverso missum quod tibi ab orbe venit.
quod quicumque leget (siquis leget), aestimet ante,
  compositum quo sit tempore quoque loco.
aequus erit scriptis, quorum cognoverit esse
  exilium tempus barbariamque locum:
inque tot adversis carmen mirabitur ullum
  ducere me tristi sustinuisse manu.
ingenium fregere meum mala, cuius et ante
  fons infecundus parvaque vena fuit.
sed quaecumque fuit, nullo exercente refugit,
  et longo periit arida facta situ.
non hic librorum, per quos inviter alarque,
  copia: pro libris arcus et arma sonant.
nullus in hac terra, recitem si carmina, cuius
  intellecturis auribus utar, adest.
non quo secedam locus est: custodia muri
  summovet infestos clausaque porta Getas.
saepe aliquod quaero verbum nomenque locumque,
  nec quisquam est a quo certior esse queam.

286.

Erat in Carnutibus summo loco natus Tasgetius, cuius maiores in sua civitate regnum obtinuerant. Huic Caesar pro eius virtute atque in se benevolentia, quod in omnibus bellis singulari eius opera fuerat usus, maiorum locum restituerat. Tertium iam hunc annum regnantem inimici multis palam ex civitate auctoribus interfecerunt. Defertur ea res ad Caesarem. Ille veritus, quod ad plures pertinebat, ne civitas eorum impulsu deficeret, L. Plancum cum legione ex Belgio celeriter in Carnutes proficisci iubet ibique hiemare; quorumque opera cognovisset Tasgetium interfectum, hos comprehensos ad se mittere. Interim ab omnibus legatis quaestoribusque, quibus legiones tradiderat, certior factus est in hiberna perventum locumque hibernis esse munitum.

287.

Novum crimen, C. Caesar, et ante hunc diem non auditum propinquus meus ad te, Q. Tubero, detulit, Q. Ligarium in Africa fuisse, idque C. Pansa, praestanti vir ingenio, fretus fortasse familiaritate ea, quae est ei tecum, ausus est confiteri. Itaque, quo me vertam, nescio. Paratus enim veneram, cum tu id neque per te scires neque audire aliunde potuisses, ut ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer. Sed quoniam diligentia inimici investigatum est, quod latebat, confitendum est, ut opinor, praesertim cum meus necessarius Pansa fecerit, ut id integrum iam non esset, omissaque controversia omnis oratio ad misericordiam tuam conferenda est, qua plurimi sunt conservati, cum a te non liberationem culpae, sed errati veniam impetravissent. Habes igitur, Tubero, quod est accusatori maxime optandum, confitentem reum, sed tamen hoc confitentem, se in ea parte fuisse qua te, qua virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque prius de vestro delicto confiteamini necesse est, quam Ligari ullam culpam reprehendatis.

288.

Separat Aonios Oetaeis Phocis ab arvis,
terra ferax, dum terra fuit, sed tempore in illo
pars maris et latus subitarum campus aquarum.
mons ibi verticibus petit arduus astra duobus,
nomine Parnasus, superantque cacumina nubes.
hic ubi Deucalion (nam cetera texerat aequor)
cum consorte tori parva rate vectus adhaesit,
Corycidas nymphas et numina montis adorant
fatidicamque Themin, quae tunc oracla tenebat.
non illo melior quisquam nec amantior aequi
vir fuit aut illa metuentior ulla deorum.
Iuppiter ut liquidis stagnare paludibus orbem
et superesse virum de tot modo milibus unum,
et superesse videt de tot modo milibus unam,
innocuos ambos, cultores numinis ambos,
nubila disiecit nimbisque aquilone remotis
et caelo terras ostendit et aethera terris.

289.

Duo de quadraginta annos tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius, cum quinque et viginti natus annos dominatum occupavisset. Qua pulchritudine urbem, quibus autem opibus praeditam servitute oppressam tenuit civitatem! Atqui de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus, summam fuisse eius in victu temperantiam in rebusque gerendis virum acrem et industrium, eundem tamen maleficum natura et iniustum. Ex quo omnibus bene veritatem intuentibus videri necesse est miserrimum; ea enim ipsa, quae concupierat, ne tum quidem, cum omnia se posse censebat, consequebatur.

Qui cum esset bonis parentibus atque honesto loco natus, etsi id quidem alius alio modo tradidit, abundaretque et aequalium familiaritatibus et consuetudine propinquorum, credebat eorum nemini, sed iis, quos ex familiis locupletium servos delegerat, quibus nomen servitutis ipse detraxerat, et quibusdam convenis et feris barbaris corporis custodiam committebat. Ita

propter iniustam dominatus cupiditatem in carcerem quodam modo ipse se incluserat. Quin etiam, ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit, Ita sordido ancillarique artificio regiae virgines, ut tonstriculae, tondebant barbam et capillum patris. Et tamen ab his ipsis, cum iam essent adultae, ferrum removit instituitque ut candentibus iuglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent.

290.

Antiocho fugato, Hannibal verens ne dederetur, quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem, Cretam ad Gortynios venit, ut ibi, quo se conferret, consideraret. Vidit autem vir omnium callidissimus in magno se fore periculo, nisi quid providisset, propter avaritiam Cretensium: magnam enim secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. Itaque capit tale consilium. Amphoras complures complet plumbo, summas operit auro et argento. Has praesentibus principibus deponit in templo Dianae, simulans se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem inductis, statuas aeneas, quas secum portabat, omni sua pecunia complet easque in propatulo domi abiicit. Gortynii templum magna cura custodiunt, non tam a ceteris quam ab Hannibale, ne ille inscientibus iis tolleret secumque duceret.

291. Latinus speaks to the Trojans.

Tali intus templo divum patriaque Latinus
sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit;
atque haec ingressis placido prior edidit ore:
'dicite Dardanidae (neque enim nescimus et urbem
et genus, auditique advertitis aequore cursum),
quid petitis? quae causa rates, aut cuius egentes
litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
sive errore viae, seu tempestatibus acti,
qualia multa mari nautae patiuntur in alto,
fluminis intrastis ripas portuque sedetis,
ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos

Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,
sponte sua veterisque dei se more tenentem.
atque equidem memini—fama est obscurior annis—
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbes
Threiciamque Samum, quae nunc Samothacia fertur.'

292.

Contra ea Titurius sero facturos clamitabat, cum maiores manus hostium adiunctis Germanis convenissent, aut cum aliquid calamitatis in proximis hibernis esset acceptum: brevem consulendi esse occasionem: se Caesarem arbitrari profectum in Italiam; neque aliter Carnutes interficiendi Tasgetii consilium fuisse capturos, neque Eburones, si ille adesset, tanta cum contemptione nostri ad castra venturos esse: magno esse Germanis dolori Ariovisti mortem et superiores nostras victorias: ardere Galliam, tot contumeliis acceptis sub populi Romani imperium redactam, superiore gloria rei militaris exstincta. Postremo quis hoc sibi persuaderet, sine certa re Ambiorigem ad eiusmodi consilium descendisse? Suam sententiam in utramque partem esse tutam: si nihil sit durius, nullo cum periculo ad proximam legionem perventuros; si Gallia omnis cum Germanis consentiat, unam esse in celeritate positam salutem. Cottae quidem atque eorum qui dissentirent consilium quem haberet exitum? In quo si non praesens periculum, at certe longinqua obsidione fames esset timenda.

293.

Q. Ligarius, cum esset nulla belli suspicio, legatus in Africam cum C. Considio profectus est; qua in legatione et civibus et sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia satis facere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. Itaque Ligarius, cum diu recusans nihil profecisset, provinciam accepit invitus; cui sic praefuit in pace, ut et civibus et sociis gratissima esset eius integritas ac fides.

Bellum subito exarsit, quod, qui erant in Africa, ante audierunt geri quam parari. Quo audito partim cupiditate inconsiderata, partim caeco quodam timore primo salutis, post etiam studii sui quaerebant aliquem ducem, cum Ligarius domum spectans, ad suos redire cupiens nullo se inplicari negotio passus est. Interim P. Attius Varus, qui praetor Africam optinuerat, Uticam venit. Ad eum statim concursum est. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse potuit, quod privato clamore multitudinis inperitae nullo publico consilio deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paulum adventu Vari conquievit.

294. Turnus wakes in Terror and seeks His Weapons; His mad Wrath is as the Boiling of Water in a Cauldron.

Olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus
perfundit toto proruptus corpore sudor.
arma amens fremit, arma toro tectisque requirit;
saevit amor ferri et scelerata insania belli,
ira super: magno veluti cum flamma sonore
virgea suggeritur costis undantis aeni,
exsultantque aestu latices, furit intus aquai
fumidus atque alte spumis exuberat amnis;
nec iam se capit unda; volat vapor ater ad auras.
ergo iter ad regem polluta pace Latinum
indicit primis iuvenum, et iubet arma parari,
tutari Italiam, detrudere finibus hostem;
se satis ambobus Teucrisque venire Latinisque.
haec ubi dicta dedit divosque in vota vocavit,
certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
hunc decus egregium formae movet atque iuventae,
hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.

295.

Sequitur hunc annum nobilis clade Romana Caudina pax T. Veturio Calvino Sp. Postumio consulibus. Samnites eo anno imperatorem C. Pontium Herenni filium habuerunt, patre longe prudentissimo natum, primum

ipsum bellatorem ducemque. Is, ubi legati, qui ad dedendas res missi erant, pace infecta redierunt: 'ne nihil actum' inquit 'hac legatione censeatis, expiatum est, quidquid ex foedere rupto irarum in nos caelestium fuit. Satis scio, quibuscumque diis cordi fuit subigi nos ad necessitatem dedendi res, quae ab nobis ex foedere repetitae fuerant, iis non fuisse cordi tam superbe ab Romanis foederis expiationem spretam. Quid enim ultra fieri ad placandos deos mitigandosque homines potuit, quam quod nos fecimus? res hostium in praeda captas, quae belli iure nostrae videbantur, remisimus; auctores belli, quia vivos non potuimus, perfunctos iam fato dedidimus; bona eorum, ne quid ex contagione noxae remaneret penes nos, Romam portavimus. Quid ultra tibi, Romane, quid foederi, quid diis arbitris foederis debeo? quem tibi tuarum irarum, quem meorum suppliciorum iudicem feram? Neminem, neque populum neque privatum, fugio.'

296.

Adhuc, C. Caesar, Q. Ligarius omni culpa vacat. Domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli; legatus in pace profectus est; in provincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret. Profectio certe animum tuum non debet offendere; num igitur remansio? Multo minus. Nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio necessitatem etiam honestam. Ergo haec duo tempora carent crimine, unum, cum est legatus profectus, alterum, cum efflagitatus a provincia praepositus Africae est. Tertium tempus est, quod post adventum Vari in Africa restitit; quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset ullo modo evadere, Uticae quam Romae, cum P. Attio quam cum concordissimis fratribus, cum alienis esse quam cum suis maluisset? Cum ipsa legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset propter incredibilem quendam fratrum amorem, hic aequo animo esse potuit belli discidio distractus a fratribus?

297.

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus urbes
Albanae coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima movent in proelia Martem,
sive Getis inferre manu lacrimabile bellum
Hyrcanisve Arabisve parant, seu tendere ad Indos
Auroramque sequi Parthosque reposcere signa:
sunt geminae belli portae, sic nomine dicunt,
religione sacrae et saevi formidine Martis:
centum aerei claudunt vectes aeternaque ferri
robora, nec custos absistit limine Ianus.
has, ubi certa sedet patribus sententia pugnae,
ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino
insignis reserat stridentia limina consul;
ipse vocat pugnas, sequitur tum cetera pubes,
aereaque adsensu conspirant cornua rauco.
hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus
more iubebatur tristesque recludere portas.

298. A Letter from Cicero in Exile to his Wife.

De Q. fratre nihil ego te accusavi; sed vos, cum praesertim tam pauci sitis, volui esse quam coniunctissimos. Quibus me voluisti agere gratias, egi et me a te certiorem factum esse scripsi. Quod ad me, mea Terentia, scribis te vicum vendituram, quid, obsecro te,—me miserum!—quid futurum est? Et, si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? Non queo reliqua scribere—tanta vis lacrimarum est—neque te in eundem fletum adducam. Tantum scribo: si erunt in officio amici, pecunia non deerit; si non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris. Per fortunas miseras nostras, vide, ne puerum perditum perdamus. Cui si aliquid erit, ne egeat, mediocri virtute opus est et mediocri fortuna, ut cetera consequatur. Fac valeas et ad me tabellarios mittas, ut sciam, quid agatur et vos quid agatis. Mihi omnino iam brevis exspectatio est. Tulliolae et Ciceroni salutem dic. Valete.

299. CICERO IS REMINDED BY HIS BROTHER OF A DREAM HE HAD WHEN IN EXILE.

Venio nunc ad tuum. Audivi equidem ex te ipso, sed mihi saepius noster Sallustius narravit: cum in illa fuga, nobis gloriosa, patriae calamitosa, in villa quadam campi Atinatis maneres magnamque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arte et graviter dormitare coepisse. Itaque, quamquam iter instaret, se tamen silentium fieri iussisse neque esse passum te excitari: cum autem experrectus esses hora secunda fere, te sibi somnium narravisse: visum tibi esse, cum in locis solis maestus errares, C. Marium cum fascibus laureatis quaerere ex te quid tristis esses, cumque tu te patria vi pulsum esse dixisses, prehendisse eum dextram tuam et bono animo te iussisse esse lictorique proximo tradidisse, ut te in monumentum suum deduceret, et dixisse in eo tibi salutem fore. Tum et se exclamasse Sallustius narrat, reditum tibi celerem et gloriosum paratum et te ipsum visum somnio delectari. Nam illud mihi ipsi celeriter nuntiatum est, ut audivisses in monumento Mari de tuo reditu magnificentissimum illud senatus consultum esse factum, referente optimo et clarissimo viro consule, idque frequentissimo theatro incredibili clamore et plausu comprobatum, dixisse te, nihil illo Atinati somnio fieri posse divinius.

300.

Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
obtutu tenet ora, soloque immobilis haeret,
intentos volvens oculos. Nec purpura regem
picta movet, nec sceptra movent Priameia tantum,
quantum in conubio natae thalamoque moratur;
et veteris Fauni volvit sub pectore sortem,
hunc illum fatis externa ab sede profectum
portendi generum, paribusque in regna vocari
auspiciis; huic progeniem virtute futuram
egregiam, et totum quae viribus occupet orbem
tandem laetus ait: 'di nostra incepta secundent
auguriumque suum! dabitur, Troiane, quod optas

munera nec sperno. non vobis, rege Latino,
divitis uber agri Troiaeve opulentia deerit.
ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupido est,
si iungi hospitio properat sociusque vocari,
adveniat, vultus neve exhorrescat amicos.
pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.
vos contra regi mea nunc mandata referte.

OXFORD : HORACE HART
PRINTER TO THE UNIVERSITY



Bell's Illustrated Classics

Edited by

E. C. Marchant, M.A.

Fellow of Lincoln College, Oxford
Late Classical Master at St. Paul's School



THE special object of the Series is to make the editions as interesting and helpful as possible to the intelligent learner; and, with this object, numerous Illustrations have been introduced. These are gathered from the best sources, and are chosen with a view to explaining the text, and making the reader more familiar with Greek and Roman life.

Maps and Plans are also inserted wherever they are required.

The volumes are equipped with Introductions, Notes, Grammatical Appendices and, in some of the prose authors, Exercises on the Text. In the Elementary Series Vocabularies are also given, but the volumes may be had without the Vocabularies, if preferred.



Bell's Illustrated Classics

Elementary Series

The volumes are issued with or without Vocabularies to suit the requirements of different schools. Pott 8vo. 1s. 6d. each (except the Greek Plays, which are 2s. each)

'The introductions and explanatory matter are to the full as good and satisfactory as in rival editions, while the illustrations are well fitted to give youth more vivid conceptions of ancient life and thought than can be gathered from any amount of literary description—at least such description they will very usefully supplement. The photographic camera and all the museums of Europe have contributed their quota to these illustrations, which have the additional merit of really beautiful execution.'—*Glasgow Herald.*

'The illustrations are excellent, and no expense has been spared to make the Series a success. The notes are mostly simple, and to the point. The introductions are clear and not "too full".'—*Cambridge Review.*

'The editors know their business, and the publishers have seconded their efforts in a most spirited fashion. The Series is sure to receive a welcome.'—*Educational Times.*

'The editor of the Series has secured the services of a staff of scholars who are intimately acquainted with school requirements.'—*Oxford Magazine.*

'We have both personally tested these [illustrated] editions in the class-room and discussed their value with other teachers. The opinions vary, but our own is one of unqualified approval. Those who object to their use generally do so on *a priori* grounds. We do not know any case of a teacher who has tried and deliberately given them up.'—J. C. S. in the *Cambridge Review.*

Caesar. De Bello Gallico. Book I. Edited by A. C. Liddell, M.A., Assistant Master at Westminster School. With Exercises.

Caesar. De Bello Gallico. Book II. Edited by A. C. Liddell, M.A. With Exercises.

Bell's Illustrated Classics (continued)

Caesar. De Bello Gallico. Book III. Edited by F. H. Colson, M.A., Head Master of Plymouth College, and G. M. Gwyther, M.A., Assistant Master.

Caesar. De Bello Gallico. Book IV. Edited by the Rev. A. W. Upcott, M.A., Head Master of Christ's Hospital. With Exercises.

Caesar. De Bello Gallico. Book V. Edited by A. Reynolds, M.A., late Assistant Master at Merchant Taylors' School. With Exercises.

*** Books IV and V in one volume, price 2s. 6d.

Caesar. De Bello Gallico. Book VI. Edited by J. T. Phillipson, M.A., Head Master of Christ's College, Finchley. With Exercises.

Cicero. Speeches against Catiline. I and II. Edited by F. Herring, M.A., Assistant Master at Blundell's School, Tiverton. With Exercises.

Cicero. De Amicitia. Edited by H. J. L. J. Massé, M.A., Assistant Master at St. Paul's Preparatory School. With Exercises.

Cicero. De Senectute. Edited by A. S. Warman, B.A., Assistant Master at Manchester Grammar School. With Exercises.

Selections from Cicero. Edited by J. F. Charles, B A., late Assistant Master at the City of London School. With Exercises.

'Mr. Charles has been particularly successful in giving a general idea of the varieties of his author.'—*Cambridge Review.*

Cornelius Nepos. Epaminondas, Hannibal, Cato. Edited by H. L. Earl, M.A., Assistant Master at the Grammar School, Manchester.

Eutropius. Books I and II. Edited by J. G. Spencer, B.A., Assistant Master at St. Paul's Preparatory School.

Homer. Iliad. Book I. Edited by L. D. Wainwright, M.A., Assistant Master at St. Paul's School.

Horace. Odes. Book I. Edited by C. G. Botting, M.A., Assistant Master at St. Paul's School.

Bell's Illustrated Classics (continued)

Horace. Odes. Book II. Edited by C. G. Botting, M.A.

Horace. Odes. Book III. Edited by H. Latter, M.A., Assistant Master at Cheltenham College.

Horace. Odes. Book IV. Edited by H. Latter, M.A.

Livy. Book IX, cc. i–xix. Edited by W. C. Flamstead Walters, M.A., Professor of Classics at King's College, London.

Hannibal's First Campaign in Italy. Selected from Livy, Book XXI, and edited by F. E. A. Trayes, M.A., Assistant Master at St. Paul's School.

Lucian. Vera Historia. Edited by R. E. Yates, B.A., Assistant Master at Nottingham High School.

Ovid. Metamorphoses. Book I. Edited by G. H. Wells, M.A., Assistant Master at Merchant Taylors' School.

Selection from Ovid's Metamorphoses. Edited, with Introduction and Notes, by J. W. E. Pearce, M.A., Merton Court Preparatory School, Sidcup; formerly Assistant Master at University College School, London.

Elegiac Selections from Ovid. Edited by F. Coverley Smith, M.A., Assistant Master at Nottingham High School.

Ovid. Tristia. Book I. Edited by A. E. Roberts, M.A., formerly Classical Master at Hereford School.

Ovid. Tristia. Book III. Edited by H. R. Woolrych, M.A., Head Master of Blackheath School.

Phaedrus. A Selection. Edited by the Rev. R. H. Chambers, M.A., Head Master of Christ College, Brecon.

'The selection is good, and contains about half the fables, and the best half; the Illustrations are distinctly successful and amusing; there is a good Introduction, good and short Notes, and some Exercises for retranslation; altogether a satisfactory volume.'—*Guardian.*

Stories of Great Men. Edited by the Rev. F. Conway, M.A., Assistant Master at Merchant Taylors' School.

*** This volume contains extracts from Livy, Florus, Velleius Paterculus, Cornelius Nepos, and Cicero, which are intended to give a series of glimpses of the great men of Rome from Romulus to Scipio Africanus minor. They are arranged so as to present the main facts of the history of the period in a continuous line of famous Romans.

Vergil. Aeneid. Book I. Edited by the Rev. E. H. Sweet-Escott, M.A., Assistant Master at Dulwich College.

Vergil. Aeneid. Book II. Edited by L. D. Wainwright, M.A., Assistant Master at St. Paul's School.

Vergil. Aeneid. Book III. Edited by L. D. Wainwright, M.A.

Vergil. Aeneid. Book IV. Edited by A. S. Warman, B.A., Assistant Master at the Grammar School, Manchester.

Vergil. Aeneid. Book V. Edited by J. T. Phillipson, M.A., Head Master of Christ's College, Finchley.

Vergil. Aeneid. Book VI. Edited by J. T. Phillipson, M.A.

Vergil. Aeneid. Book VII. Edited by L. D. Wainwright, M.A.

Vergil. Selection from Aeneid, Books VII to XII. Edited by W. G. Coast, B.A., Assistant Master at Fettes College.

Xenophon. Anabasis. Book I. Edited by E. C. Marchant, M.A.

Xenophon. Anabasis. Book II. Edited by E. C. Marchant, M.A.

Xenophon. Anabasis. Book III. Edited by E. C. Marchant, M.A.

Preface:—'This is an *elementary* edition; the difficulties solved are such as perplexed the editor in the days of his youth—the meaning of "stage" and "parasang" and what the book is all about. There is absolutely no trace of erudition between these covers, and the editor has endeavoured to present to the young learner a portion of Xenophon's masterpiece as what it is—a delightful book of travel and adventure written by a soldier and a sportsman.'

Bell's Illustrated Classics

Greek Plays

With or without Vocabulary, 2s. each



Euripides. Alcestis.

Edited by E. H. Blakeney, M.A., Head Master of The King's School, Ely. With twenty-six Illustrations.

Dr. W. Peterson, Principal of the McGill University, Montreal.—'I have looked at the book you sent me, and think it an excellent publication. If we were reading the *Alcestis* in a junior class here, I should have no hesitation in recommending it.'

W. Rhys Roberts, Litt.D., Professor of Greek in the University of North Wales.—'I have examined it with great interest and consider it an excellent piece of work.'

'It is the first Greek play that has appeared in the Series; and it is a very thorough and competent piece of work.'—*Educational Times.*

'We think that Mr. Blakeney has produced a school edition which will make its way in spite of its elders in the field. To begin with, the book is well illustrated. . . . The introduction is sufficient, and full use seems to have been made of all recent literature. The notes are ample and give the kind of information required in a book of this sort—abundant grammatical exegesis. The volume closes with full indices and a vocabulary which seems satisfactory. This little edition may be heartily commended.'—*Classical Review.*

Euripides. Bacchae.

Edited by G. M. Gwyther, M.A., Assistant Master at Plymouth College. With twenty-five Illustrations.

Euripides. Hecuba.

Edited by the Rev. A. W. Upcott, M.A., Head Master of Christ's Hospital.

Euripides. Medea.

Edited by the Rev. T. Nicklin, M.A., Assistant Master at Rossall School.

Aeschylus. Prometheus Vinctus.

Edited by C. E. Laurence, M.A., Principal of Pembroke School, Bruges; late Second Master at Blackheath School. With twenty-nine Illustrations.

'For pupils reading *Aeschylus* for the first time this is the best book we have seen. . . . This practical little edition will be of more real service in schools than many that are on a more ambitious scale.'—*Guardian.*

Res Romanae

being

Aids to the History, Geography, Archaeology, and Literature of Ancient Rome

by

E. P. Coleridge, M.A.

By the same Author

Crown 8vo. with 5 Maps, 7 Plans, and 17 other Illustrations. 5s.

Res Graecae

being

Aids to the History, Geography, Literature and Antiquities of Ancient Greece

London: George Bell & Sons

